

1978

9. M

494





9.1

1978  
M  
494

DISSERTATIO  
DE  
PHILOSOPHIA  
HORATII  
STOICA

QVAM  
PRAESIDE  
IO. ERN. IMMAN. WALCHIO  
ELOQVENTIAE ET POESIOS PROFESS. PVBL. ORD  
SOCIETATVM LATINAE IENENSIS DIRECTORE  
ROMANAE ARCAD. FLORENTINAE COLUMBAR  
ET LITTERARIAE BREMENSIS  
SODALI

830

D. II. IVNII MDCCCLXIII  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVE MITTIT AVCTOR  
M. DANIEL CHRISTIANVS PFLVGRADT  
DOBLENA CVRONVS  
SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALIS HONORARIVS

IENAE  
LITTERIS HELLERIANIS

THESS. B. M. 18





002

Kapsel 78M 494(9)

AK

257



SERENISSIMO  
PRINCIPIS AC DOMINO  
DOMINO  
P E T R O

HEREDITARIO  
DUCAT. CVRONIAE ET SEMGALLIAE  
PRINCIPIS  
IN SILESIA LIBERARVM DYNASTIARVM  
WARTENBERGAE BRALINI ET GOTTSCHVTZII  
DOMINO, VIGILIARVM QVAE A RVSSICI IMPERII  
COPIIS AGVNTVR SVPREMO PRAEFECTO  
DIVI ALEXANDRI NEWSKY ORDINIS  
EQVITI

PRINCIPIS AC DOMINO  
SVO CLEMENTISSIMO

SVMMAM AC DEBITAM  
PIETATEM  
EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE TESTATVR  
HOC INGENII SVI SPECIMEN  
SERENISSIMO EIVS NOMINI  
SACRVM ESSE IVBET  
SEQVE SVASQVE RES STUDIOSSIME  
COMMENDAT  
AETERNAE

*TANTI PRINCIPIS*  
VIRTVTVM GLORIAE

DEVOTVS

M. DANIEL CHRISTIANVS PFLVGRADT



DE  
**HORATII PHILOSOPHIA**  
**STOICA**

---



**Q**VI philosophiae apud romanos statum eius-  
que in vrbe fata et vicissitudines curatius  
inuestigarunt, his visa ea gens est summo  
quidem studio incubuisse in diuinæ aequæ  
ac humanæ sapientiæ disciplinas, ne-  
que infelici conatu; sic tamen, vt nullæ nouæ  
ab iis sectæ conderentur, sed quilibet, quantumuis  
harum rerum amantissimus, in graecorum philosopho-  
rum

A

rum placitis adquiesceret, ac modo academicam, modo peripateticam, modo aliam philosophandi rationem sectaretur. Idque profecto eo videri potest mirabilius, cum quod ab eo tempore, quo primis, vt aiunt, labris philosophiam degustare coeperunt romani, haustis postea largius philosophiae disciplinis ex limpidiſſimis Graeciae fontibus, incredibilis fere ad haec studia excolenda ardor incesſerat animos et mirificum quoddam in iisdem proficiendi studium, tum vero maxime propter summam ingenii praestantiam maximamque de rebus grauiſſimis iudicandi facultatem, quibus virtutibus, si vlla alia gens, romana certe omnium consensu maxime olim floruit, ipsi saltem Graeciae sagacissimae ingenii viribus nullatenus fuit inferior. Cuius quidem rei et nouarum inprimis sectarum in vrbe inopiae causas scrutantibus nobis perplures occurrunt, nostra quidem sententia sic comparatae, vt haud leuem veri speciem prae se ferre nobis videantur. Primum enim ii ipsi, qui apud Romanos philosophiae sese dabant, non, vt plerique sapientum Graeciae, litterato fruebantur otio, in quo saepissime haud leue veritatis curatius rimandae praesidium, permagna certe et necessaria quaedam opportunitas esse solet, sed tot ciuilibus tot militaribus negotiis per omnem fere vitam suam implicati, ad grauiſſima reipublicae munera admoti, tot pro salute ciuium curis distenti philosophi romani vix ac ne vix quidem tantum sibi relictum esse videbant temporis, vt  
ad



ad se paullisper redire, his animi oblectamentis tranquille frui et philosophiae studiis rite et, vti par erat, vacare possent. Accedebat deinde falsa quaedam auctoritatis opinio et praeoccupata sententia, qua quicquid erat in litterarum studiis, nisi e Graecia esset, nisi ex Atticis campis decerptum, graecum quasi ingenium saperet, id omne parum sibi in vrbe poterat conciliare auctoritatis. Quare tanto magis omnes ad Graeciae philosophantis sectas familiasque sese adcommodabant, quo minus domestica placebant sine Graeciae luce et quo praeclarius ac honorificentius erat, graeco more philosophari, Zenonis, Platonis, Aristotelis, Epicuri vocari adseclam. Ac ob id ipsum quidem nemo facile audebat noua moliri in graecis philosophorum romanorum familiis, graecae philosophiae adeo addictis, vt, quidquid esset adlaturus, nisi graeci cuiusdam philosophi auctoritate firmaretur, id sine plausu, sine adsensu relictum iri, certo praeuideret. Quam ad rem haud parum videtur contulisse ipsa, quae Romae fuit, philosophiae excolendae ratio. Nam etsi, primorum inprimis caesarum augustorum tempore, non defuere, qui modo academicam, modo stoicam, modo aliam philosophiam publice in vrbe profiterentur eiusque placita aliis omni fide instillarent, a) fuit tamen

A 2

haec

a) conf. IOSEPHVS CARAFA *de philosophiae apud romanos initio et progressu in gymnasio romano libr. I. cap. I. §. 7. p. 17. sq.* su: CHRIST. FALSTERVS *quaestiones philosophicae de philosophis romani tract. de* P. 249 aliique.

haec omnium fere persuasio, in ipsa Graecia longe melius philosophiam disci, ex his fontibus et dulcius, et largius et purius, quam vllibi, hauriri posse, quidquid ad sapientiae studia vel vlllo modo videretur pertinere. Quare eloquentiae pariter ac philosophiae studiosi, confectis primis in patria litterarum spatiis, in Graeciam migrarunt, Athenisque inprimis philosopho, cuius magna tum erat fama et auctoritas, in disciplinam sese tradiderunt eiusque scholas non sine magna frequentarunt diligentia *b*). Qui quidem praeceptoris sui placitis probe imbuti eiusque auctoritate occupati, ad patrios deinde lares reducti, tanto erga illum amore ferebantur, vt dogmata eius qualiacunque tenacissime plerumque defenderent, religioni sibi saepe ducentes, vel vlla in re, quamuis leui, ab ipso discedere. Neque vero non ipsa academica philosophandi ratio, ab Arcefilao et Carneade introducta, in caussa esse videtur, quare nouae in philosophia sectae nullae, nulli graecae philosophiae emendatores et correctores, nulla nouarum familiarum capita Romae facile existere potuerint. Istius enim sectae philosophis, summam Romae tum auctoritatem nactis, hoc erat in more positum, vt quicquid ab aliis aliarum familiarum adseclis proferretur, id neutiquam extra dubitationem positum esse,

*b*) legantur praeter alios GEORG. NICOL. FVNCIUS *de virili aetate linguarum peregrinationibus academicis*, et IO.

esse, grauius quidem et haud raro perquam luculenter, sic tamen demonstrarent, vt quaelibet dubia faciendo meliora et certiora haud darent, neque obscure, de recte peruidendis rimandisque philosophiae mysteriis desperandum esse, profiterentur. Quo factum est, vt plerique in tanto opinionum dissensu, in tanta, quam sibi finxere, veri et certi inueniendi difficultate, emendandae graecae philosophiae animum abiicerent, nil facile in hoc eruditionis humanae campo proferri posse, rati, quod non pari sollertia neque eodem probabilitatis gradu diu ante prolatum excussumque esset in Graecia. Ac sic quidem nouis in philosophia sectis romani caruerunt. Quibus tamen, si rem sine omni partium studio ponderamus, id merito laudis debetur, summam eos diligentiam et haud minorem iudicandi facultatem probandis excutiendisque Graeciae sectarum placitis adhibuisse. Qua in re acutissimum CICERONIS ingenium summo olim Romae philosophanti ornamento fuit. Quid enim potuit dici praeclearius, aut acutius, aut subtilius, quam quod hic philosophus dixit et iudicauit de graecorum philosophorum placitis in libris suis de natura deorum et quos *tusculanas* inscripsit *quaestiones*? c)

A 3

roma-

c) conf. IASONIS DE NORES nobilis Cyprii, breuis et distincta institutio in Ciceronis philosophiam de vita et moribus, Pataui. MDCLXXXVII. HENRICVS DODWELL apologia scriptor. philosophico-

rum CICERONIS, quam angliae versionis librorum eius de finibus praefixit SAMUEL PARCKERVS, Londini. MDCCII. 8.

romanorum philosophis summae laudi ducitur, quod ab vno Graeciae philosopho duci eiusque auctoritate abripi se haud passi sunt, sed, delectu quasi dogmatum habito, ex pluribus ea, quae optima ipsis visa sunt, adoptarunt, nulla tamen noua secta condita.

## II

HAEC quum ita sint, nullam fere in Graecia philosophorum sectam fuisse, facile colligi potest, cui Romae adfectae defuerint et amatores. Quilibet eam amplectebatur, quam videbat suae naturae, suoque ingenio et vitae studiorumque generi esse ad commodatissimam. Quo factum est, vt alii pythagoricae nomen darent, alii ad academicam prolaberentur, aut peripateticam, aut epicuream. Stoica iurisconsultis et magistratibus maximopere sese commendabat, nullibi, raris, nisi in porticu inueniri posse meliora et praestantiora ad vitae morumque disciplinam praesidia. Qui rebus tractandis explicandisque eloquentiam adhibendam, ornateque et eleganter et cum verborum adparatu philosophandum esse, statuebant, in academica haud parum habere se adiumenti ad eam rem perficiendam, sunt opinati. Aliis Pythagorica potissimum et Platonica philosophandi ratio placuit. Ac hi fere sunt, qui paullo difficiliori tristiorique ingenio praediti a strepitu forensi sese subducere, dogmata metaphysica scrutari ac de quibusuis abstrusis rebus quaestiu-  
las

las meditari inque conclusionum dumetis animi quodam pabulum quaerere solebant. Neque vero defuere, qui vitae mollioris oblectamentis capti dulcissimum otium omnibus pro republica laboribus praeferendum esse, opinarentur. De quibus profecto haud mirum, si ad Epicuri castra transiisse, si eius hortos Romae quaesuisse, legamus. Ac haec quidem omnia non carent clarissimorum in vrbe virorum exemplis, vnde alios aliam sectam sequutos esse, perquam luculenter constat. Pythagorica enim philosophia prae caeteris (sc. ENNIO *a*) et PVBLIO NIGIDIO FIGVLO *b*) commendauit, academia prima MARCO BRVTO, *c*) M. TERENCEIO VARRONI *d*) et M. PISONI, *e*) media et noua CICERONI *f*) peripatetica ANDRONICO RHODIO, epicurea T. POMPONIO ATTICO, LVCRETIO, *g*) aliisque. Sola Pyrrhonia Romae sine plausu relicta fuisse videtur.

## III

TANTVM vero abest, vt in hoc romanorum de Graeciae sectarum praestantia dissensu stoica reliquis posthabita

*a*) teste PERSIO *sat.* VI. v. 10 sq.

*b*) quod confirmat CICERO *fragmento de vniuerso* ab init. Coll. EVSEBIO *chron.* n. 1973.

*c*) de quo PLVTARCHVS videtur in *eius vit.* p. 688.

*d*) Conf. cel. IAC. BRVCKERVS *histor. critica philosophiae tom.* II. p. 30.

*e*) videatur CICERO *libr. v. de finib. c. i.*

*f*) legantur eius *paradoxa, cap. 1. de offic. libr. II. cap. 2. Tuscul. quaest. libr. II. cap. 2. libr. III. cap. 4.*

*g*) de Andronico Rhodio, peripateticae philosophiae, deque Attico et Lucretio, epicureae addictis, laudatur BRVCKERVS *videatur libr. memorato, p. 60. sq.*

bita aut plane neglecta fuerit, vt inter omnes auctoritatis principatum summamque dignitatem Romae consequuta esse, videatur. Neque vero longe petendae sunt tantae, in qua secta haec apud romanos fuit, existimationis caussae. Primum enim non poterat ea non maximo opere sese commendare populo romano, virtutis ciuilis studiosissimo, propter morum disciplinam, quam in philosophiam Zeno eiusque sectatores induxerant. Quod quum romani intelligerent viderentque, tam vtilem tamque ad vitae cultum necessariam de officiis doctrinam, a reliquis sectis aut plane neglectam aut certe non tanti, vt merito debebat, habitam, primarium fere stoicae philosophiae caput esse et fundamentum, in quo niteretur omnis fere liberali ingenio digna disciplina; summo fere studio ad Stoicorum doctrinam eorumque in philosophia placita ferebantur, et tanto quidem hercle magis, quo praestantiora ad rempublicam bene et feliciter administrandam praesidia in Stoicorum de moribus praecipis habere se, opinabantur. Deinde accedebat illa haud vana persuasio, sparsis Romae vbique stoicae disciplinae seminibus disseminatisque in vulgus eiusdem viuendi agendique principiis, in officio ciues magis contineri et ad vitae honestatem traduci posse. Quod potissimum in caussa esse videtur, cur ii, quorum intererat, vt ad leges se componerent ciues, cur, inquam, hi porticum mirifice extollerent, cur ciuium ingenia in porticu quasi fingi

et

et ad huius praecepta formari cuperent. Ipse porro Panaetius, stoicus philosophus, haud parum Romae adtulit ad sectae suae commendationem et ad eum dignitatis principatum, quem tum stoica philosophia Romae obtinuit. Is enim antea, quam possent aliae Graecorum sectae Romae radices quasi agere viresque sibi colligere, summam iam nactus ibidem apud optimates et principes ciuitatis viros auctoritatem, haud paucos ex splendidissimis, gentium inprimis patriciarum, familiis ad stoicae philosophiae amorem haud infelici conatu allicere studuerat. Qua in re quum plurimum proficeret Panaetius hique ipsi, quos suae philosophiae principiis sedulo imbuerat, successu temporis ad reipublicae gubernacula admoti, summam in populo auctoritatem obtinerent, quid erat facilius, quam vt ad horum exempla reliqui se conformarent et id philosophiae genus sequerentur, vnde optimates suos, tanquam ex fonte quodam, omnis prudentiae ciuilis vitaeque sapientioris praesidia hausisse, cognouerant. Denique ipsa legum romanarum ratio aliquid ad maiorem stoicae sectae dignitatem in vrbe effecisse, videtur. Collegerant enim romani ex graecorum ciuitatibus leges suas, vnde decemvirales illae, siue duodecim tabularum ortum suum duxerunt. Quibus quidem legibus, vndique quasi corrasis, quum deesset stabile quoddam et firmum fundamentum, in quo earum ratio quasi niteretur, nullum profecto philosophiae genus fere repertum est, cuius

B Handwritten note: Otto prin-

principiis ipsae legum rationes aptius possent attemperari, quam idem illud stoicum, in quo morum disciplina et legitima viuendi agendique ratio, tum officiorum doctrina dominari quasi videbatur. *b)* Amplissimus profecto se nobis aperiret dicendorum campus, si praeclaros, qui Romam olim nobilitarunt, stoicae familiae philosophos hoc loco commemorare deque eorum philosophandi ratione dicere, ac imprimis de Q. Lucilio Balbo, de Catone minore deque aliis fusius loqui vellemus. Sed consultius est, ea de re tacere, ne nimium ab instituto nostro aberrare videamur.

### III

ROMA litterata in sectas philosophicas diuisa, tantum abfuit, vt poetae ab illarum familiis excludi se paterentur, vt modo huic, modo illi nomen darent inque carminibus suis ad graeci cuiusdam philosophi, quem sibi ducem elegerant, perpulchre et perquam eleganter saepius philosopharentur. Qua quidem in re hoc imprimis haud immerito quispiam quaerat, vtrum, quid quisque poetarum statuerit, cui sectae se addixerit, ex eiusdem carminibus, tum, quum in iisdem philosophetur, tuto et sine erroris metu colligi queat? Solent poetae id sibi saepius tribuere libertatis, vt modo in huius, modo in alius philosophi fundum sese

*b)* conf. SCHILTERVS *manuduct. philosophorum philosophia*, CHR. AVG. HEYERARD. OTTO *de stoica iuriconsul-*  
*tos. moralis ad iurispud. cap. 1. §. 3. sq.* MANNVS *act. philosof. vol. 1. p. 43.*



fese demittant, ac ex aliis campis alios quasi flores legant, quoscunque sibi ad eam rem, de qua canere volunt, adcommodatissimos esse, opinantur. Ex quo necesse fere videri potest, si iudicium de cuiuslibet philosophia forte sit ferendum, vt cautionem adhibeamus, ne, quae ipse fenserit, cum iis, quae alii, aut quae ex sua, quae contra ex aliorum sententia et mente narrare solet, confundantur. Itaque, vt omnia ea in re rite perspiciantur, hoc primum ante omnia tenendum est, poetas non vbiuis vnum philosophum ducem sequi, sed pro dicendorum discrimine ad ea, quae dicenda sunt, modo huius, modo alius philosophi placita adcommodare solere; nihilominus tamen, si plura quis vnus poetae effata, si eius diuersa, quae per carmina sua sparsit, iudicia, si sententias, quas de rebus philosophicis alibi atque alibi prodidit, inter se rite conciliauerit, altera cum altera rite comparata, haud difficili negotio sectam illam, cui inprimis nomen suum vates dederit, inuestigari, cognoscique posse, quid ex sua, quid ex aliorum philosophorum sententia, quid demum ex vulgi opinione scripserit. Praeterea vero etiam hoc obseruandum est, vnum dogma haud raro plurium philosophorum, quantumuis inter se dissidentium, aut commune fuisse, aut poetam in eorum numero habuisse, quae ex alia secta in suam, cui ipse se addixerat, transferre se posse, crederet, maxime quum nullam *ἐναντιότητα* videre sibi videretur, aut aliquid, quod contradiceret suae sectae placitis ac principiis

piis. Quare peccant, qui, dum eiusmodi dogma apud poetam vident et legunt, eum continuo ad hanc vel illam sectam referendum esse, arbitrantur, non reputantes, permulta dogmata pluribus olim sectis familiaria fuisse poetasque sibi hanc sumsisse libertatem, ut alterius sectae placita, quum nullum dogmatum animaduernerent dissensum, adoptarent cumque aliis, prout res ipsa argumentique ratio postulare visa, apte sciteque conciliarent. Quod quidem tanto magis licere sibi, poetae existimarunt, quum ipsos romanos philosophos haud raro idem facere, cognoscerent. Solebant enim haud pauci sectae illius, cui sese addixerant, auctoritatem hoc ipso firmare, quod aliorum philosophorum placita ad illam adcommo-  
dare, et, si fieri poterat, ea, quae repugnantia videbantur, inter se iungere ipsumque dissensum tollere studuerunt. Quod poetae quoque imitati esse videntur, adeo, ut caute ea in re agendum sit, ne propter vnus alteriusue dogmatis vium eisdem continuo ad hunc vel illum philosophorum ordinem amandemus. Ratio praeterea verborum summa habenda esse videtur, quibus quum saepe haud vniam sententiam et ita quidem subiicere liceat, ut pro diuersa illorum interpretatione diuersa quoque dogmata extorqueri ex iisdem possint, cauendum summopere est, ne ea in re decipiamur. Idque tanto magis, quo frequentius fieri olim solebat, ut dissidentes nonnunquam verbis, non re ipsa conuenirent, hoc ipso, quod dissensum verborum inuolucris tegere et occul-  
tare

tare studuerunt. Denique et hoc accedit, vnum poetam nonnunquam alii sectae iuuenem, senem alii addictum fuisse, et relicto suo in philosophia duce, ad alius castra transiisse. Itaque probe animaduertendum est, quo quaelibet carmina tempore scripserit, iuuenili aetate; an pro- uectiore? Quod aetatis discrimen permultum faciet ad poetae philosophiam eiusque genus rite diiudicandum.

## V

QVAE omnia si rite expenduntur, facile erit, veterum poetarum romanorum philosophiam diiudicare atque per- spicere, quam quisque philosophandi rationem inierit, et cui veteris Graeciae philosophorum nomen inprimis dederit. VIRGILIUS iuuenis Sironem, philosophum epicureum, praeceptorem habuit *1)*, postea vero, relictis Epicuri hor- tulus, ad academicos se contulit, quorum dogmata haud ra- ro prodere solet, sic tamen, vt et aliarum sectarum placita nonnunquam haud improbare eaque suis carminibus inte- xere videatur. Neque in his a porticu abhorruit, multa certe adtulit, quae stoicam sapiunt philosophandi rationem. De OVIDIO dici fere nequit, in quam sese philosophorum dederit familiam. Sumit et decerpit modo ex hoc, modo ex alio philosophiae campo, quidquid sibi ad ornanda sua carmina, inprimis suos metamorphoseon libros adiumen- to et vsui esse videtur. *2)* MANILIUS epicureae philoso-  
phiae

B 3

*1)* conf. SERVIVS *ad Virgiliti eclog. vi.*  
23 p. 57. ed. MARSICII.

*2)* conf. eel. IAC. BRUCKERVS *h. v.*  
*for. cris. philos. tom. II. p. 77.*

phiae se infensum haud obscure ostendit et <sup>satirās</sup> philosophatur, in iis maxime rebus, quae ad physiologiam pertinent, sic tamen, ut in iisdem haud obscura errorum, in quos Spinoza postea inciderat, vestigia relinqueret. l) M. ANNAEVS LVCANVS, Cornuto stoico praeceptore vsus, porticum vix deserit, eiusque placita vbique per carmina sua spargit. m) De eius amico, PERSIO, qui eundem quoque in philosophia magistrum habuisse fertur, idem est tenendum, id quod et eius carmina satis declarant, in quibus summum se ethicae stoicae amatorem se esse, luculenter ostendit. n) LVCRETIVM epicureum philosophum fuisse, omnes norunt, immiscet tamen nonnunquam carminibus suis opiniones vulgi, quod quum aliqui haud animaduverterent, factum est, ut prouidentiam diuinam ab ipso indubium haud vocatam esse, statuerent; sine iusta tamen causa, modo hoc teneatur, poetam in eiusmodi locis non quid ea de re Epicurus, sed quid vulgus credat, commemorare.

## VI

IAM vero quid de HORATIO, cuius in primis philosophiam rimari instituimus, ea in re statuendum sit, merito quaeritur. Sunt, qui in his eius versibus: o)

*me pinguem et nitidum bene curata cute vises  
quum ridere voles, Epicuri de grege porcum,*

tum

l) leg. cel. MOSHEMIVS not. ad CYP-  
WORTHII *systema intellectuale* p. 438.

m) luculentum physiologiae stoicae

exemplum est libr. 1. v. 74 sq.

n) videatur *satira* eius tertia et quinta.

o) libr. 1. *epist.* 4. v. 15.

tum in aliis: p)

*parcus deorum cultor et infrequens  
insipientis dum sapientiae  
consultus erro, nunc retrorsum  
vela dare atque iterare cursus  
cogor relictos*

Epicuri adsecram videre sibi videntur. Verum, si prioris loci verba rite expendimus et cum iis, quae antecedunt, comparamus, iocari tantum videtur Horatius seque Epicuri de grege porcum adpellat, non propter doctrinam, sed quod obeso fuit corpore, q) vti solebant esse, qui ex Epicuri grege, male intellectis magistri sui verbis, omnia ad voluptates traducere inque ventris et gutturis deliciis summum bonum quaerere ac saepe pecorum more viuere solebant. Pari modo CICERO r) Pisonem Epicurum vocat, sed, quod discriminis causa addit, non ex scola Epicuri, sed *ex bara*, ex porcorum stabulo productum, quasi porci instar viueret, haud secus ac multi degeneres Epicuri discipuli. Horatium vero ipsis illis verbis se neutiquam epicureae sectae fautorem profiteri, hoc etiam argumento est, quod senex epistolas suas scripsit, quod ipse fatetur:

*solue senescentem mature sanus equum* -

ea nempe aetate, qua multis forte agitatus calamitatibus tum et propter alias causas melius et rectius de prouidentia diuina sentire animumque ab omnibus voluptatum iuueni-

p) *libr. I. od. 34. v. 1.*

q) *SVETONIVS vita Horatii, Vnde*

Augustus eum *ὀγκωδῆσαλον* vocauit,

r) *orat. in Pisonem cap. XVI.*

uenilium illecebris ad sanioris philosophiae studia abducere didicerat. Quod ad alterum locum adinet, is longe manifestius ostendit, poetam nostrum maxime in iuuentute sua, si non totum epicureum, huius philosophi tamen placitis nonnullis haud prorsus infensum fuisse, reliquisse vero impiam epicureorum de dei providentia sententiam, quum ex tonitru et fulmine, sereno caelo misso, cognouerit, numini supremo mortalium res curae esse suamque *προνοίαν* manifestis signis declarare. Quo etiam ea pertinere videntur, quae alio loco de providentia diuina cecinit, quum lupus immanis eum inermem in Sabinis fugeret. s) Hoc non negandum est, haud pauca in Horatii scriptis reperiri, quae Epicuri hortos redolere videantur. Vt ex pluribus pauca demus, quis non in his Epicuri sectatorem agnoscit: t)

- - credat iudaeus Apella  
non ego. Namque deos didici securum agere aeuum,  
nec, si quid miri faciat natura, deos id  
tristes ex alto coeli demittere tecto

quis non in aliis: u)

- - et adscribi quietis  
ordinibus patiar deorum,

Hanc vero Epicuri sententiam fuisse, LVCRETIVS, Epicuri de grege vates, confirmat, ratus, homines, quod eorum, quae

s) libr. I. od. XXII.

t) libr. I. sat. 5. v. 100.

u) libr. III. od. 3. v. 35.

quae fiant, causas ignorarent, idcirco ad deos refugere atque existimare, omnia eorum nutu ac voluntate fieri, qui tamen securum agerent aeuum, sine vlla rerum humanarum cura. Sic vero iste: x)

*ignorantia causarum conferre deorum  
cogit ad imperium res et concedere regnum, et  
quorum operum causas nulla ratione videre  
possunt, haec fieri diuino numine rentur.*

*Nam bene qui didicere deos securum agere aeuum  
si tamen interea mirantur, qua ratione  
quaeque geri possint,  
et alio loco: y)*

*omnis enim per se diuum natura necesse est  
immortali aeuo summe cum pace fruatur,  
semota a nostris rebus seiunctaque longe.  
Nam priuata dolore omni, priuata periculis  
ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,  
nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

Neque alia effata desunt apud Horatium nostrum, quae satis aperte epicureum vatem prodere videntur. Ex quorum censu ea potissimum sunt, quibus, esse voluptatibus, dum adsint, fruendum, declaratur, fugiendum esse *μελλισμον*, nullam futuri temporis curam esse habendam. Nolumus eam in rem prouocare ad odam illam, qua poeta sub ficto

C

Tha-

x) libr. VI. de nat. deorum, v. 53.

y) libr. II. v. 645.

Thaliarchi nomine adolescentes nobiles a cogitatione reipublicae ad epicuream vitam allicit: z)

*quid sit futurum cras, fuge quaerere, et*

*quem fors dierum cunque dabit, lucro*

*adpone, nec dulces amores*

*sperne puer, neque tu choreas,*

*donec virenti canities abest*

*morosa;*

neque ad ea, quibus L. Sextium hortatur, vt, vere ineunte, dimissa Catoniana seueritate, ad epicureismum se recipiat. Videtur enim poeta in vtroque poemate iussisse magis, quam serio haec scripsisse. Quid vero iudicandum sit de his eius cogitatis: a)

*tu quamcunque deus tibi fortunauerit horam*

*grata sume manu, nec dulcia differ in annum*

deque iis, quibus spernere nihilique ducere preces ad deum prodit: b)

*non est meum, si mugiat Africae*

*malus procellis, ad miseris preces*

*decurrere et votis pacisci,*

videant, qui Epicuri discipulos sine vlla futuri temporis cura sibi suisque voluptatibus indulgisse, negataque diuina prouidentia, omnem vim precum negasse ac fustulisse, velint recordari.

Alibi

z) *libr. I. od. 9. v. 13.*

a) *libr. I. epist. XI. v. 23.*

b) *libr. III. od. 29. v. 57. 58.*



Alibi tamen epicureos deridet, maxime quod summum bonum in voluptate quaerendum esse, existimant. Documento est satira quarta libri secundi, de qua recte RAPPOLTUS c) *argumentum, inquit, satirae scopusque vertitur, ut, dum praecepta, quae ad artem culinariam, comitui adparatum, obsonia, condimenta et similia pertinent, tradere eum fingit, epicureorum sententiam de summo bono, in voluptate posito, perfringat. Errant enim, qui serio tradita ab Horatio culinaria haec praecepta. Catii, vult non pauca illorum vera sunt, existimant, quum Venusina haec vulpecula nihil agat aliud, quam, ut stultam planeque insulsam epicureorum sententiam illudat. Quod quidem tanto minus quisque mirabitur, qui illa HORATII legit: d).*

*adiocere bonae paullo plus artis Athenae  
scilicet ut possem curvo dignoscere rectum  
atque inter silvas academi quaerere verum*

quibus Athenis philosophiam in academia se didicisse inque academicorum philosophorum familia fuisse, haud obscure profitetur. Atque ex academiae fontibus hausisse illa videtur: e)

*sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem  
possis et magnam morbi deponere partem*  
orationem, ut recte interpretes monent, philosophi intelligens. Plato enim eiusque discipuli orationem *ὑπόμνημα* et

C 2

ἐπιμνη.

c) *comm in Horat. p. 348.*e) *libr. 1. epist. 1. v. 34.*d) *libr. 11. epist. 2. v. 43.*

*ἡμεῖς* vocare solebant. Neque tamen adeo constans, par-  
que sibi poeta fuit, vt non et in aliorum philosophorum  
scholis aliquoties diuenteret, exque hortis seu potius sta-  
bulo Epicureorum, in Zenonis porticum, ex porticu in  
vmbriferam academiam Platonis, ex hac in nitidum peri-  
pateticorum lyceum migraret. Quis enim peripate-  
ticum audire sibi non videtur, dum virtutem veram in  
mediocritate ponat et stultorum esse, profiteatur, in  
eo, quod nimium, aut quod parum est, peccare. Audia-  
mus ipsa poetae verba: f)

*non ego auarum*

*quam veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.*

*Est inter Tanaim quiddam socerumque Viselli.*

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*

*quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

quo et haec referri commode posse videntur: g)

*dum vitant stulti vitia, in contraria currunt*

*nil medium est.*

## VII

QVID igitur de philosophia HORATII statuendum  
sit, haud immerito quaerendum esse, videtur. Mutant  
saepe homines cum tempore animum aliasque saepe iuue-  
nili, alias senili aetate fouent sententias, adeo, vt haud ra-  
ro, quae olim odio habuere, amplecti, quibus delectati  
sunt

f) *libr. I. sat. I. v. 103.*

g) *libr. I. sat. 2. v. 24.*

sunt, refugere et auersari videantur. Quod quidem in philosophia, vt in aliis rebus, Horatio aliisque poetis contigit. Quare vnum eundemque poetam pro aetatis ratione a se inuicem distinguere cumque iuuenem a senē discernere non immerito solemus. Ipsi Horatio florente aetate epicurea philosophia haud plane displicuisse videtur, paullo prouectiore aetate, quum maturitas ingenii et iudicii tum vsus vitae accederet, multa epicureorum philosophorum placita deseruisse, et non nisi ea, quae ex qualibet lecta sibi optima et rationi maxime consentanea visa sunt, amplexus esse, videtur, sequutus eam in re Antiochum praecceptorem suum, in cuius scholis haud infrequens Athenis fuisse, fertur. Quae quidem ipsa philosophandi ratio, quo sanior, quo magis sobria ipsi videbatur, eo ampliore dari eadem sibi videbat occasionem, sine vilo partium studio in omnes sectas inuehendi carpendique, quidquid arbitrabatur vituperio et censura dignum esse, siue ad Zenonis, siue ad Platonis, siue ad Epicuri, siue ad alius philosophi scholam pertineret. Itaque recte et adcommo-  
*FRIDERICVS RAPPÖLTVS, b) fuit, inquit, hoc peculiare Horatio, quod satirica licentia omnes graeculorum sectas ad partes vocauit, etiam eas, a quibus se plurimum profecisse, non negabat.* Prae ceteris tamen, huic illuc antea vagatus, in Zenonis porticu quasi consenuit, legitque admodum diligenter aetate ingrauescente stoicorum scripta atque ex his per-  
 C 3 plura

*b) comm. in Horat. p. 1214.*

plura hausit inque carmina sua transtulit. Id quod in praefenti luculentis exemplis declarabimus.

## VIII

SAPIENTIS nomen Stoici philosophi, qui soli sibi sapere videbantur, admodum frequenter usurpare, iisque inprimis, qui sua de moribus praecepta ad usum vitae ἀνεβδᾶς reuocare didicerant, tribuere solebant. Nam ante Pythagoram ii, qui diuinarum naturaliumque rerum indolem et origines scrutati sunt, σοφοὶ dicebantur. Pythagoras deinde, ut omnem arrogantiae suspicionem a se amoueret, non σοφὸν sed φιλοσοφὸν dici adpellarique maluit. Neutiquam tamen sapientis nomen postea sic obsoleuit, ut priscae moris vestigia in porticu haud relinquerentur. Proinde saepissime de sapiente suo loqui solent Stoici, sapientem, ut ex eorum paradoxis apud CICERONEM *i*), aliosque multos patet, esse deo parem, regem, se solo contentum, liberum, pulchrum, honoratum, sine animi impetu: sapientes solos amicitiam colere, et quae aliae sunt eorum de vero philosopho, siue sapiente, voces. Ac hanc quidem consuetudinem saepius retinuit Horatius, ut eos, qui diuinarum humanarumque rerum scientiam sibi comparauerant, tum qui agendi viuendique rationem ad Stoicorum inprimis praecepta adcommodarunt, sapientes vocaret.

*i*) videantur eius *paradoxa*. Ex recentioribus legatur, ut vel vnicum demus, IVSTVS LIPSIUS *tom. IIII operum* p. 751 sq.

ret. Vt ex multis, quae in medium adduci possent, exemplis nonnulla tantum suppeditentur, prouocamus ad haec eius verba:

*quisnam igitur liber? SAPIENS, sibi qui imperiosus, quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent k)*

*SAPIENS operis sic optime omnis est opifex solus, sic rex l) - - -*

*Ad summam, SAPIENS vno minor est Ioue, diues liber, honoratus, pulcher, rex denique regum. m)*

*Quum pateris SAPIENS, emendatusque vocari. n)*

*Quali igitur victu SAPIENS utetur? et horum utrum imitabitur? o)*

Ex quibus pariter ac aliis satis superque patet, Horatium stoicorum de sapiente vocem suam fecisse, deque veris philosophis *sanctis* esse loquutum. Qua quidem in re hoc potissimum tenendum est, stoicos veteres inter philosophiam et sapientiam olim discrimen fecisse et hanc ab illa distinxisse. Perspicue id docent SENECAE, p) stoici philosophi, verba: *dicam inter philosophiam et sapientiam quid intersit. Sapientia perfectum bonum est mentis humanae: philosophia sapientiae amor et affectatio. Haec ostendit, quo illa peruenit. CICERO q) idem discrimen admisit. Nec quidquam aliud est,*  
in-

k) libr. II. serm. 7. v. 83.

l) libr. I. serm. 3. v. 132.

m) libr. I. epist. 1. v. 106.

n) libr. I. epist. 16. v. 30.

o) libr. II. serm. 2. v. 63.

p) epist. LXXXVIII.

q) libr. II. de offic. cap. 1. Aliorum veteris Graeciae et Latii philosophorum de philosophia definitiones vide apud LIPSIUM *manuduct. ad stoicam philosophiam* libr. II. diss. 7. tom. IIII. operum, p. 698.

inquit, *philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiae. Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum diuinarum et humanarum caussarumque, quibus hae res continentur, scientia.* Hanc vero distinctionem ex Zenonis schola prodiisse, testis locuples est PLVTARCHVS r) cuius haec sunt verba: οἱ μὲν Στωικοὶ ἔφασκαν, σοφίαν εἶναι, θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἐπιτήμην, *stoici aiebant, sapientiam diuinorum et humanorum scientiam esse.* Quae si rite expenduntur, facile patet, quare non philosophum, sed sapientem tantopere extollat Horatius, quare in ipso sapientiae vsu ac possessione, non in eius tantum acquirendae studio summam hominis felicitatem ponat, quare sapientiam tantis efferat laudibus:

*aeque pauperibus prodest, locupletibus aequaeque neglectum pueris senibusque nocebit s)*  
 eamque, putet, omnibus animi morbis adferre medelam:

*feruet auaritia miseroque cupidine pectus:  
 sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem  
 possis, et magnam morbi deponere partem.  
 Laudis amore tuus? sunt certa piacula, quae te  
 ter pure lecto poterunt recreare libello.  
 Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,  
 nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,  
 si modo culturae patientem commodet aurem. t)*

in quibus verbis elegantissime vim et efficaciam sapientiae depingit, velut magicam, quae miros quasi effectus in animis

r) de placit. philos. libr. I. cap. I. tom. II.  
 operum, p. 3.

s) libr. I. epist. I. v. 25.

t) libr. I. epist. I. v. 33.

mis hominum prodat. Ex quo intelligi possunt Horatii verba et voces, et quid is velit *ter pure lecto libello*. Ut enim in incantationibus certa verba et voces adhiberi solebant, sic summa olim vis in illis ternario numero tribuebatur. Nota est illa vox vetulae apud TIBULLUM: u)

*ter cane, ter dictis despue carminibus.*

Vnde illa PLINII x) intelligimus: *eadem ratione verba despuere deprecatione in omni medicina mos est.*

## VIII

UT vero eo, vnde digressi sumus, redeamus, sapientem illum, quem Horatius tantopere effert, stoici τέλειον vocare eumque a proficiente, quem προκόπιονα adpellant, distinguere solent. Illum perfectum, consummatum dicunt, a quo nil boni absit, in quo omnes virtutes tanto sint gradu, ut iisdem nil addi queat, verbo, talem, qualem vix naturae humanae indoles ac conditio ferat. Vnde ipsi veteres iam agnovere, talem sapientem, qualem stoici velint, non nisi in eorum cerebris aut libris posse inueniri. PLUTARCHVS y) disertè de stoico sapiente εἰς ἔτος, inquit, ἔδαμῃ γῆς, ἔδῃ γέγονεν, est vero nusquam gentium terrarumue, neque fuit; CICERO z) autem: stoici eam sapientiam interpretantur, quam adhuc nemo mortalis est consequutus. SENECA a) illum alterum sapientem, loquitur de τελείῳ, fortasse tanquam Phoe-

D

nicem

u) libr. 1. eleg. 2. v. 56.

x) libr. XXVIII. hist. natural. cap. 4.

y) libro de pugn. stoic.

z) in Laelio, cap. XXVI.

a) epist. XXXXII.

*nicem semel anno quingentesimo nasci, autumat.* Ab his *τελέτοις* distinguere stoici *προσόντων*, *proficientes*, siue, vt *SENECA* b) ait, *procedentes.* Hoc interest, inquit, inter *CONSUMMATAE SAPIENTIAE virum et alium PROCEDENTIS*, alio vero loco: c) *quod dicitur de SAPIENTE, exigimus et a PROFICIENTE.* Horum *προκοπιόντων* tres olim fecere classes stoici, vt ex eodem *SENECA* d) patet. Ad primam retulere, qui sapientiam consummatam omnibusque numeris absolutam nondum haberent, sed in vicinia quasi eius constituti essent, qui ab omni quidem animi impetu omnibusque vitiis liberi essent, qui nosset omnia, quibus consummata sapientia absolueretur, sed quibus fiducia adhuc deesset. Secundum eorum genus autumant esse, qui animum quidem a maximis vitiis animique commotionibus liberauerint, sic tamen, vt possint in vitia illa relabi. Tertium denique ordinem obtinuerunt, qui a multis et magnis, sed non ab omnibus vitiis essent alieni. Quae omnia si rite tenemus, facili certe negotio Horatium nostrum stoicum agnoscemus, vt ad primam *προκοπιόντων* classis perueniret, optantem. Sic enim interpretanda haec eius verba e) esse, videntur:

*restat, vt bis ego me ipse regam solerque elementis,*  
addita ratione:

*non possis oculo quantum contendere Lynceus*

NON

b) *epist. LXXII.*

c) *de vita beata, cap. XXIIII.*

d) *epist. LXXV.*

e) *libr. I. epist. I. v. 27.*



*non tamen idcirco contemnas lippus inuolui  
nec, quia desperes inuicti membra Glyconis  
nodosa corpus nolis prohibere cberagra  
est quadam prodire tenuis, si non datur ultra.*

Solebant enim stoici inter decreta et praecepta discrimen statuere, et illa cum elementis, haec cum membris comparare. Perspicue id docet SENECA, ad quem utpote in porticu fictum formatumque philosophum sapius iam nobis prouocandum fuit. *Hoc interest, ait, f) inter decreta philosophiae et praecepta, quod inter elementa et membra. Haec ex illis dependent, illa et horum causae sunt et omnium. Decretorum vero siue τῶν κρυίων δόξων nomine comprehenderunt stoici generalia quaedam capita et leges, ad quas reliqua omnia, quaecunque ad stoicam doctrinam et vitam pertinerent, essent referenda, leges quasi recti, ut CICERO ait, verique, ex quibus, tanquam e fonte quodam, vniuersa sapientis perfecti agendi viuendique ratio duceretur. Quas leges qui ad vitam traducit easdemque ad omnes vitae casus rite refert atque ex decretis siue placitis vniuersalibus, ad ipsas actiones relatis, leges sibi speciales fingit et format, is a decretis ad praecepta, ab elementis ad membra, ex statu προκόπιος in statum τελείον, ut ζωικός loquamur, peruenisse dicitur. Horatius igitur dum elementis imbui cupit, generalem sibi, ut recte RAPPOLTVS g)*

D 2

docet

f) *epist.* LXXXXV.g) *comm. in Horat.* p. 467.

docet, δὲ ὅτι ἴσως sufficere putat, si minus ad perfectam noritiam et adcuratam singulorum obseruationem peruenire possit. Sicut, qui robur Glyconis desperant, non desinunt interim de qualicunque corporis εὐεξία vel habitudine sibi prospicere.

## X

FACTO inter decreta et praecepta discrimine, solent quoque stoici, ipsam philosophiam in contemplatiuam et actiuam dispescere. Testis est SENECA, qui quum, naturam, putat, ad utrumque nos genuisse, et contemplationi rerum et actioni, philosophiam idcirco et contemplatiuam esse, pronuntiat, et actiuam, spectare simul et agere: b) Acid quidem discrimen, si nonnullis doctis viris credimus, haud neglexit HORATIUS. Sic vero iste: i)

nunc itaque et versus et cetera ludicra pono

quid verum atque decens, curvo et rogo, et omnis in hoc sum:  
condo et compono, quae mox depromere possim.

Quae verba sic nonnulli interpretantur, vt verum ad eam philosophiae partem, quae in contemplatione rerumque cognitione sita est, decens autem ad eam, quae de moribus praecipit ac de officijs tractat, referant. Consentit ADRIANVS TVRNEBVVS k) ac quae mores, ait, confingit, et officia praescribit, quaeue temperatione decori et moderatione continetur, operam se dare, declarat HORATIUS, pariter ac illi, quae in con-

tem-

b) de vita beata cap. XXXI. XXXII.  
coll. epist. LXXXV.

i) libr. 1. epist. 1. v. 10.

k) libr. 11. aduers. cap. 26.

*templatione posita est verumque acquirit.* Verum, si, quid nos ea de re sentiamus, libere dicendum sit, satis quidem acute, minus autem certa ratione istud philosophiae discrimen ex poetae nostri verbis extorquere nobis doctissimi illi viri videntur. Nostra enim sententia Venufinus vates ea tantum hic persequitur, quae ad morum disciplinam, ad culturam virtutis, ad vitae usum, ad fugam vitiorum, animique moderationem, verbo, ad eam philosophiae partem, quam stoici *actiuam* dixerunt, sunt referenda. Neque in vocabulo *verum* aliquid patrocini inuenire eos posse putamus, qui contrarium tuentur sententiam. Saepe enim istud in antiquis scriptoribus idem est ac, *quod decet, quod par, quod iustum est.* Discimus hanc vocabuli significationem ex verbis PLAVTI l):

*si verum quid et decorum, herum vebere seruum*  
 LIVII: m) *verum esse, habere eos, (agrum) quorum sanguine ac sudore partus sit: CICERONIS: nec verum fuit, me tibi mittere: n) verum fuit, postulare, ut ex edicto bona possideret: o) assentior frater, ut quod est rectum, verum quoque sit: p) SALLVSTII: q) eos potentia Scauri a vero bonoque impediabat: VIRGILII: r) quaecunque est fortuna, mea est, me, verius, vnum pro vobis foedus luere*

D 3

ad

l) *asinar. act. III. sen. 3. v. III.*m) *libr. II. cap. 43.*n) *libr. II. epist. 17. ad famil.*o) *pro Quinct. cap. XV.*p) *de legib. libr. II. cap. 5.*q) *bell. lugurib. cap. XXXI.*r) *libr. XII. Aeneid. v. 694.*

ad quae verba SERVIVS: *verius, iustius, et sensus hic est: me unum pro omnibus rupti foederis poenas luere. Alii veteri more dictum accipiunt: verum enim, quod rectum et bonum esset, adpellabant.* Tacemus de aliis eius generis testimoniis, quae lexicorum conditores ea de re conguessere.

## XI

si ipsum fundamentum, in quo niti omnem suam sapientiam voluerunt stoici, reputamus, id esse statuerunt *anticipationem*, ex qua, tanquam ex fonte promanare putant omnia decreta, quorum ope ad praecepta, siue a contemplatiua philosophia ad actiuam perueniamus. Iam vero, quae huius *anticipationis* ratio, quae notio huic vocabulo in porticu subiecta fuerit, paucis videamus. Dicunt stoici, partem diuini spiritus in nobismersam esse, quae etsi corpore velut carcere clausa coerceatur opinionibusque agitetur et abducatur, retinere tamen eandem originis suae flammulas, et quid verum, quid honestum sit, per se, sua natura et indole, peruidere ac perspicere posse. Agnoscit hanc *diuinae aerae* particulam ipse HORATIUS 1) noster:

- - - *corpus onustum*

*besternis vitiiis animum quoque prae grauat una*

*atque adfligit humo* DIVINAE PARTICVLAM AERAE.

Has diuini spiritus reliquias vocant stoici flammulas, igniculos,

1) *libr. 11. ferm. 2. v. 77.*

culos, graece *σπινθήρας, ζάπυρα, ἐνάσματα*, quoniam ipsam animam, cui haec diuina vis insita sit, igneae naturae esse, putarunt. Hos igniculos exserere se ac prodere, aiunt, in sensibus quibusdam et iudiciis, quae omnium fere hominum generi essent insita ac innata. Haec iudicia, per quae sese prodat diuini illius spiritus particula, dicunt stoici *ἐννοίας, notionēs, προλήψεις anticipationēs*, et, quia insitae nobis, non humano studio adquisitae sunt, *ἐννοίας κοινάς, προλήψεις ἐμφύτες*, putantque, has anticipationes, siue notiones esse principia ac fundamenta scientiae omnis ac sapientiae, siue decretorum suorum, in quibus philosophia actiua niteretur. Has notiones CICERO u) *intelligentias et fundamenta scientiae* adpellat easque hominibus insitas esse, disertè ex stoicorum mente pronuntiat. *Notionem*, inquit, x) *adpello, quod graeci tum ἐννοίαν, tum προλήψιν dicunt. Ea est insita et ante percepta cuiusque formae cognitio, enodationis indigens.* Nolumus iam fusius hic de ipso, quod olim ZENO, stoicae familiae parens, fecit, discrimine τῶν ἐννοίων Φυσικῶν et τεχνικῶν disputare, quarum illas solo naturae beneficio sine opera et studio, has δὲ ἡμετέρας διδασκαλίας καὶ ἐπιμελείας opera industriae et doctrinae nostrae habeamus. Id modo, qua ratione ope harum ἐννοίων ad scientiam ex stoicorum mente perueniamus, ex CICERONE docuisse, sufficiat. Sic vero ille: y) *mens ipsa, quae sensuum fons est, atque etiam*

u) libr. I. de legib. cap. 9. et 10.

γ. 10. fin. III. 6. inf. 1. 24.

x) topic. cap. v. coll. cap. VII. acad. II.

y) libr. IIII. acad. quaest. cap. 10.

etiam ipsa sensus est, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus mouetur. Itaque alia visa sic arripit, vt his statim utatur, aliqua sic recondit, e quibus memoria oritur: cetera autem similitudinibus constituit, ex quibus efficiuntur notitiae rerum, quas graeci tum ἐνοίας tum προλήψεις vocant. ¶ Eo quum accessit ratio argumentique conclusio rerumque innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium adparet et eadem ratio, perfecta his gradibus, ad sapientiam peruenit. z) Ac harum quidem notionum ad omne vitae genus et ad omnem virtutem excolendam vsum satis praedicare atque extollere nesciunt stoici, hoc vero simul requirunt, vt iudicii bonitate eadem ad res ipsas rite adplicentur. Quare, si homines in turpissimos errores prolabi, si ab iis maxima scelera perpetrari vident, causam non in notionum peruersitate, sed in earumdem inepta ad res ipsas adplicatione quaerendam esse, arbitrantur. Notionem hanc, aiunt, omnibus hominibus insitam esse, vt mala vitent, bona sequantur. At, si iudicium ferendum ac, quid bonum, quid malum sit, definiendum, tum saepissime homines hoc ipso se turpiter decipere, quod anticipata notione non recte vtantur, neque bona et mala, quae talia sint, ab iis, quae esse videantur, rite fecernant. A quo vitio cauere sibi homines iubet EPICTETVS. ¶ *Cauere, inquit, notiones singulis rebus temere et vane adcommo-  
dare.* τῆτο γὰρ ἐστὶ τὸ ἀλλίον τοῖς ἀνθρώποις πρὸς  
70v

z) de hoc Ciceronis loco egregie commentatus est IVSTVS LIPSIVS manu- duct. ad philof. stoicam, libr. II. diff. XI.

των τῶν κοινῶν, τὸ τὰς προλήψεις τὰς κοινὰς μὴ δύνασθαι ἐξαεμεζεῖν  
ταῖς ἐπὶ μέγεθος, *haec est causa mortalibus omnium malorum, non posse  
communes notiones aptare singularibus.* Quae iam de his stoi-

corum notionibus differuimus, exemplo quodam insigni  
apud HORATIVM a) possunt illustrari. Is plebeium quem-  
dam facit disceptantem cum Agamemnone, huicque obii-  
cientem, quod Aiace[m] sepultura prohibuerit filiamque  
propriam mactauerit:

Pl. *ne quis humasse velit Aiace[m], Atreida, vetas, cur?*

A. *rex sum. Pl. nil ultra quaero plebeius. A. et aequam  
rem imperito: at si cui videor non iustus, inulto  
dicere, quod sentis, permitto. Pl. Maxime regum  
dii tibi dent capta classem reducere Troia,  
ergo consulere et mox respondere licebit?*

A. *consule. Pl. cur Ajax, heros ab Achille secundus  
putescit, toties seruat[ur] clarus Achivis,  
gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato  
per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?*

Rationem reddit huius saevitiae Agamemnon, Aiace[m]  
mille oves occidisse ideoque iure eundem sepulturae ho-  
nore priuari:

*Mille ovium insanus morti dedit, inelytum Vlyssen  
et Menelaum vna mecum se occidere, clamans*

At plebeius regerit:

*tu, quum pro vitula statuis dulcem Aulide natam  
ante aras, spargisque mola caput, improbe, falsa,  
rectum animi seruas?*

E mul-

a) libr. II. serm. 3. v. 187.

multum, ratus, interesse, vtrum quis pecora mactet, an homines. Nihilofecius tamen se errasse, non agnoscit Agamemnon. Sic enim ille:

*verum ego, ut haerentes aduerso littore naues  
eriperem, prudens placavi sanguine diuos*

ad quae plebeius:

*nempe tuo, furiose - -*

Agamemnon autem:

*- - meo, sed non furiosus.*

Tum plebeius, hoc factum furiosi esse, ostensurus,

*qui species, ait, alias veri, scelerisque tumultu  
permistas capiet, commotus habebitur, atque  
stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.*

Iam quis non videt, plebeium et Agamemnonem eandem habuisse notionem anticipatam, nempe, *insaniam esse malum*. Hoc adfirmabat plebeius, nec diffitebatur Agamemnon. Qui enim hic amouisset a se insaniae suspicionem, nisi eam in malis habuisset? Quin potius volebat prudens videri, quod sanguine diuos placasset. Quae itaque erroris causa? adplicare *περόληψιν* siue anticipatam notionem non rite nouerat Agamemnon. Ignorabat enim, insani esse, vetare, ne sepeliatur homo mortuus, isque optime de Graecis meritis. Ignorabat, stulti esse, filiam pro vitula mactare.

## XII

RADIX, immo parens et rector omnium decretorum est *finis*, quem graeci philosophi *τέλος*, CICERO *ulti-*

*mius*



num extremum atque summum adpellarunt, a quo omnia pendant et quo cuncta referantur. *Quid est in vita, inquit, b) tantopere quaerendum, quam quis sit finis, quod extremum quod ultimum, quo sint omnia bene viuendi recteque faciendi consilia referenda, et alio loco: c) sentis enim, credo, me iam diu, quod τέλος graecus dicat, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum.* Sine huius vltimi finis notitia nil rite suscipi posse, autumant stoici, ad hunc finem sapientiae cultores summo studio niti debere, haud secus ac nauigantes, quibus ad sidus aliquod dirigendus sit cursus. Declarat id SENECA: *d) proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat, veluti nauigantibus ad sidus aliquod dirigendus est cursus.* Consentit CICERO: *e) extremum, omnium philosophorum sententia, tale esse debet, vt ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam.* Ac id quidem extremum, siue vt graeci dixerent, τὸ ἕχατον ὀρεκτῶν in mente habuit CICERO, quum libros suos de finibus bonorum et malorum inscriberet. Si vero vlla in re, in vltimo certe fine constituendo in diuersas partes abeunt sapientiae antistites. Conueniunt tamen quodammodo inter se stoici, vltimum rati, finem esse, secundum naturam viuere. Aiunt enim ad vnum omnes: τέλος εἶναι τὸ ὁμολογεμένως τῇ φύσει ζῆν, vel vt EPICTETVS habet: συμφώνως τῇ φύσει ζῆν. Latini conuenienter

E 2

b) libr. 1. de finib.

c) libr. 111. de finibus cap. 7.

d) epist. LXXXXV.

e) libr. 1. de finibus cap. 9.

nienter naturae, secundum naturam viuere dicunt. SENECA: f) idem est beate viuere et secundum naturam. Qua in re admodum Στωϊκός HORATIUS noster: g)

- - vel dic, quid referat intra naturae fines viuenti, iugera centum, an mille aret? at suauē est, ex magno tollere aceruo, dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquitur, cur tua plus laudes cucumeris granaria nostris?

Quod hic intra naturae fines viuere, id alibi bene viuere dicit eoque omnes homines contendere, eo omnium vota spectare, eo cuncta mortalium consilia referri, autumat. Ipsum audiamus: b)

strenua nos exercet inertia, nauibus atque quadrigis petimus bene viuere: quod petis, hic est, est Vlubris, animus si re non deficit aequus.

Nauibus atque quadrigis, ait stoicus noster, petere mortales, ut bene uiuant, formula petita a nauibus atque quadrigis, id est, ab imagine intensissimi studii, ac summi laboris, qualis esse eorum solet, qui perfido mari vecti ad tutum properant portum. Eadem fere formula, qua IUVENALIS i) utitur:

conuenient et carpentis et nauibus omnes,  
et PLAVTVS: k)  
remigio ueloque, quantum poteris, festina et fuge

item

f) de vita beata cap. VIII. Plura eiusmodi essata habet LIPSIVS libro memorato p. 714.

g) libr. I. serm. 1. 49.

b) libr. I. epist. 11. v. 28.

i) sat. VIII. v. 131.

k) asinar. act. I. scen. 3. v. 5.

itemque CICERO: l) *taetra res est, misera, detestabilis, omni contentione velis, ut ita dicam, remisque fugienda, et alio loco: m) cursu corrigan tarditatem, tum equis, tum vero quadrigis: itemque: n) cum his velis equisque decertandum est.* Sed haec ἐν παρόδῳ. Alio loco poeta eadem ratione est philosophatus: o) *uiuere naturae si conuenienter oportet, ponendaeque domo quaerenda est area primum nouissime locum potioem vure beato? est, ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura leniat et rabiem canis et momenta leonis cet.*

Ex quibus omnibus, quis non in HORATIO porticum redoleat? Iam vero, quid illud sit stoicorum: *naturae conuenienter, secundum naturam uiuere*, haud immerito quaeritur. Si stoicos audiamus, ipsi inter se dissentiunt. p) Zeno, omisso *naturae* vocabulo, vt ἐμολογεμένως uiuatur, vult, hunc finem vltimum esse, vt sapientis vita per virtutem semper conueniens consentiensque sibi sit, semper eadem, cum in sensu, tum etiam, si non impediatur, in actu. Hoc idem est, quod SENECA q) *aequalitatem ac tenorem vitae per omnia sibi consonantem*, CICERO r) *conuenientiam*, Graeciae philosophi ἀπλῶς ἐμολογίαν dixere. Rem ipsam

E 3

- l) libr. III. *tuscul. quaest. cap. XI.*  
 m) libr. II. *epist. 15. ad Quintum fratrem.*  
 n) libr. III. *de officiis, cap. 33.*  
 o) libr. I. *epist. 10. v. 12.*  
 p) Stoicorum ea de re diuersas senten-

tias ex STOBAEO, CLEMENTE Alexan-  
 drino et DIOGENE LAERTIO dedit  
 IUSTVS LIPSIVS libr. II. *manuduct. ad  
 phil. stoic. diff. 14.*  
 q) *epist. LXXVIII.*  
 r) libr. III. *de finib. cap. 6.*

vero acute describit *SENECA*, s) quum sapientem semper ad vnam se componere regulam, autumat, sine dissensione, vitamque eius vnus quasi esse coloris, desipientis contra esse, singulis fere horis in contraria verti, sibi non constare et fluctuum instar huc illuc rapi. Quo vitio laborantem Priscum quemdam stoicus noster vates perstringit: r)

- - - - - saepe notatus  
cum tribus anellis, modo laeua Priscus inani  
vixit inaequalis, clauum ut mutaret in horas,  
aedibus ex magnis subito se conderet, unde  
mundior exiret vix libertinus honeste.  
Iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis  
viuere. Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

## XIII

*CLEANTHI* non satis fuit, conuenienter viuere, addidisse fertur: conuenienter naturae viuere. Communem autem intelligebat naturam, non particularem, siue humanam, qua in re a Chrysippo stoico discessit. Iam vero, quid natura communis Cleanthi eiusque adflectis fuerit, itidem videndum est. Verbo dicemus: est, ex huius philosophi sententia, ipse deus. Patet id ex verbis *CLEMENTIS Alexandrini*: u) οἱ Στωικοὶ τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν, τέλος εἶναι ἐδογματίσαν, τὸν θεὸν εἰς φύσιν μετνομάσαντες εὐπεπῶς, stoici secundum naturam viuere, finem esse, decreuerunt, dei nomen in na-

tu-

s) *epist. xx. coll. epist. xlii.*u) *libr. ii. Strom.*r) *libr. ii. serm. 7. v. 8.*

*turae nomen decore commutantes* et EPICETI: x) καὶ τοὶ ἀλλοί  
 μὲν ὁ προηγούμενος λόγος τῶν φιλοσόφων, λίαν ἐστὶν ὀλιγός, τὶ δὲ ἔχει  
 μακρόν ἐπιπλεῖν, ὅτι τέλος ἐστὶ τὸ ἐπεῖθαι θεοῖς, atqui ipse praecipuus  
 philosophorum et velut antesignanus sermo brevis admodum est. *Quid*  
*enim longum dicere, finis est, sequi deum.* Neque vero quem-  
 quam in stoicorum disciplina tam peregrinum et hospitem  
 esse, arbitramur, quin, naturae nomine apud ipsos deum  
 indigitari, didicerit. Deum vero sequi, idem ipsis erat,  
 ac se ipsum suasque actiones ad mentem et legem diuinam  
 conformare. Quare EPICETVS, y) quid τὸ ἐπεῖθαι θεοῖς  
 sit, ostensurus, τὴν αὐτῆς, inquit, γνώμην ὑποτάσσειν τῷ διοικῶντι  
 τὰ ὅλα, καθάπερ οἱ ἀγαθοὶ πολῖται τῷ νόμῳ τῆς πόλεως, *mentem*  
*suam submittere gubernanti omnia menti, sicut boni ciues legi ciui-*  
*tatis.* Confirmat idem saepius SENECA, cuius egregia ea  
 de re effata IVSTVS LIPSIVS z) studiose collegit. Haec  
 mens Cleanthis et plurium Stoicorum. A quibus tamen  
 Chrysippus dissentiebat, naturam, cui conuenienter viuen-  
 dum sit, non communem intelligens, sed particularem,  
 naturam nempe humanam, siue potius rationem, non illam  
 quidem corruptam et deprauatam, sed bonam, rectam,  
 et quam stoici *absolutam, perfectam, consummatam* solent adpel-  
 lare. Sic enim SENECA: a) *in homine optimum quid est? ra-*  
*tio, hac antecedit animalia, deos sequitur.* Ratio erga perfecta pro-  
 prium hominis bonum est, et paullo post: *ratio recta et consumma-*

x) diff. 1. cap. 20.

y) diff. 1. cap. 12.

z) libr. 11. manuduct. ad phil. stoic. diff. 16.

a) epist. LXXVI.

ta felicitatem hominis impleuit. Hanc Chryssippi mentem expressisse CICERO b) his verbis videtur: sic est faciendum, ut contra vniuersam naturam nihil contendamus, ea tamen conseruata, propriam naturam sequamur. Propria haec natura siue humana natura CICERONI eadem est, quam SENECA perfectam et consummatam dixit. Vnde quoque facile colligitur, Cleanthem a Chryssippo non tam re, quam verbis dissensisse, modo hoc teneatur, naturam incorruptam humanam stoicis diuinæ essentiae particulam fuisse, id quod iam supra ex HORATIO didicimus. Ab hac stoicorum sententia neque ii olim discesserunt, qui naturæ conuenienter viuere idem esse, autumarunt, ac virtutem sequi, neque ii, qui vitam naturæ conformem, cum daemone siue genio consentientem esse debere, docuerunt. Quum enim virtus ex ratione recta fluat, ipsaque ratio nil aliud nisi virtutem suadeat, necesse est, vt, qui secundum naturam, id est secundum rectam rationem viuat, is quoque secundum virtutem debeat viuere. De genio vero haec fuit plurium stoicorum sententia, esse ipsum deum, qui in humano quasi diuertet corpore. Plura breuitatis causa non addimus. Id modo monuisse sufficiat, si, quid stoici de vniuersa natura, quid de propria hominis, quid de recta ratione senserint, rite inter se comparaueris, facile constare, philosophos hos in doctrina de vitæ humanæ cum natura consensu non tam re, quam verbis inter se dissentire.

b) libr. 1. de officiis cap. 31.

## XIII

IAM vero merito quaeritur, quum vitam naturae conformem esse voluerunt stoici, aliis naturam de vniuersali, aliis de particulari siue humana interpretantibus, cuienam parti ea in re Horatius sese addixerit. Supra audiuimus, hanc stoicorum legem et suam fecisse poetam, cum in his verbis: c)

- - - - vel dic, quid referat intra  
naturae fines viuenti, iugera centum, an  
mille aret? - - -

tum alibi: d)

*viuere naturae si conuenienter oportet.*

Iam vero, si haec verba cum iis, quae antecedunt et sequuntur, rite contuleris, haud obscure patebit, vatem nostrum hac in stoicorum lite cum Chrysisippo fecisse, ac τὸ *viuere naturae conuenienter* ad naturam retulisse humanam. Quum enim dicit, parum referre, vtrum is, qui intra naturae leges viuat, iugera centum, an mille aret, hoc ipso naturam paucis contentam esse, docet, quod quidem non nisi de humana natura potuit intelligere. Eadem fere ratio est alterius effati, quod in medium adduximus. Haec enim ibi leguntur:

*urbis amatorem Fuscum saluere iubemus  
ruris amatores - - -  
- - - ego laudo ruris amoeni  
ruios et musco circumlita saxa, nemusque,  
quid quaeris? viuo et regno,*

F

Pau-

c) *libr. 1. serm. 1. v. 49.*d) *libr. 1. epist. 10. v. 12.*

Paucis contentus vates viuit et regnat, stoici instar, qui sapientem suum regem fecit, vt infra videbimus, tum sic pergit:

*pane egeo, iam mellitis potiore placentis:  
viuere naturae si conuenienter oportet,  
poenendaeque domo, quaerenda est area primum,  
nouistine locum potiozem rure beato?*

Quo vero, quaeso, alio haec omnia itidem spectant, quam naturam, cui conuenienter viuendum sit, paucis esse contentam? Quam autem naturam? non hercle vniuersalem, sed hominis propriam, quam in hac stoica lege vnice quaesuisse Chrysippum, supra audiuimus. At enim, iudice TORRENTIO, vates noster non ex stoicorum, aut si maioris, academicorum mente loquutus est, quibus conuenienter naturae viuere extremum bonum fuit, sed more romano, adeo, vt nil aliud significet, quam rura vrbibus, haud secus ac naturam arti esse praefendam? Vtrumque facile constabit, modo hoc teneatur, ipsam Horatianam vitae rusticae commendationem illi stoicorum legi, naturam paucis contentam esse, non repugnare, sed potius eidem quasi subiectam esse, tum vero, HORATIO nil sollemnius esse, quam ex stoicorum porticu loquendi formulas petere, et ad rem ipsam, de qua agatur, scite adcommo-  
dare.

## XV

EX fine hoc vltimo tanquam ex fonte quodam stoici decreta, siue, vti ea ipsi vocarunt, *paradoxa* sua solent deriuare. e) Loquimur de decretis illis notissimis, quibus olim

e) de his Stoicorum paradoxis videantur IUSTVS LIPSIVS *manuductio ad bios stoicam*, libr. III, diff. 2. sq. THO-

MAS STANLEIVS *hist. philosoph.* p. 617. edit. latin. et IAC. BRVCKERVS *hist. crit. philos. tom. 1.* p. 959.



olim porticus semper fere personabat. Dicuntur vero paradoxa, quoniam praeter opinionem plurium sunt, et, quum audiuntur, nouitatem habent, vel admirationem, vel certe aliquid inexpectatum, quod, vix auditum, ἀπορίαν aliquam videtur habere, re vero curatius expensa, non sine ratione a stoicis prolatum deprehenditur. CICERO f) *mirabilia, admirabilia* dixit, quae non tam re quam dictu sunt inopinata atque mirabilia. SENECA g) ea *inopinata* vocauit, quod praeter opinionem non praeter veritatem esse soleant. Ob id ipsum tamen, quod communi opinioni auersari et contradicere videbantur, multorum incurrent reprehensionem et PLUTARCHVS h) ab iisdem occasionem arripuit, stoicos carpenti, quasi μὴ ἐουκλίας δεχομένους τὴν ἀρίαν, *sponte et ultro confessos absurditatem*. Porticus enim haec sua decreta *paradoxa* adpellare solebat. Ipsi adeo ii, qui a stoicorum philosophia animum non alienum sunt professi, haud prorsus adprobarunt haec paradoxa, seu potius illam, dogmata, quantumuis vera, sententiarum paradoxarum inuolucro tegendi rationem. Esse, putant, si in formula maneat, haec paradoxa aperte falsa, si, missa illa, rem spectes, sic comparata, vt, plerumque saltem, vulgatum aliquid neque magnum contineant. Vnde apud ipsum SENECAM i) aliquis ad stoicum, *magna, inquit, promittitis, et quae ne optari quidem nedum credi possint. Deinde ingentia loquuti, quum negastis pauperem esse sapientem non negatis, solere illi et seruum et vestem et rectum et cibum deesse. Quum sapientem negastis insanire, non negatis et alienari et parum*

F 2

sana

f) paradox. v. 1.

g) epist. LXXI.

h) περὶ κοινῶν διαγ.

i) de constant. cap. III.

*sana verba emittere et quicquid vis morbi cogit audere. Quum sapientem negastis seruum esse, iidem non itis inficias et vaenum iturum et imperata facturum et domino suo seruilia praestitutum officia.* Ac id quidem non immerito propter repugnantiam cum vtu vitae communi, quae in dogmatibus his stoicis inesse videbatur. Quare et CICERO paradoxa stoicorum, prima specie admirationem, re explicata, risum mouere dixit. Quo in numero etiam HORATIUS noster fuit, quem supra audiuimus, nulli sectae pepercisse, si quid in ea reprehendendum animaduertet. Quare, etsi, ingrauescente inprimis aetate, stoica philosophandi ratio maxime se ipsi commendauit, non potuit tamen a se impetrare, quin rideret quodammodo paradoxa illa, non tam quod in dubium vocauit eorum veritatem, sed quod verborum potius nimiam magnificentiam in iis reperire, sibi est visus. Multa horum paradoxorum breuissimis his verbis complectitur vates noster: k)

*ad summam, sapiens vno minor est Ioue, diues,  
liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,  
praecipue sanus, nisi quum pituita molesta est.*

Longe vero eadem acrius infectatur satira illa, qua sutorum stoicum regem facit, et fuste tanquam sceptro armat turbaque circumfusum vt publicum ludibrium fingit. Audiamus ipsa eius verba: l)

*- - - si diues, qui sapiens est,  
et sutor bonus, et solus formosus, et est rex,  
cur optas, quod habes? Non nosti quid pater, inquit,  
Chrysis dicat. Sapiens crepidas sibi numquam*

*nec*

k) libr. 1. epist. 1. v. 106.

l) libr. 1. serm. 3. v. 124.

*nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens. Quo?  
 ut, quamuis tacet Hermogenes, cantor tamen atque  
 optimus est modulator, ut Alfenus vaser, omni  
 abiecto instrumento artis clausaque taberna  
 tonfor erat: sapiens operis sic optimus omnis  
 est opifex solus, sic rex. Vellunt tibi barbam  
 lasciui pueri, quos tu nisi fuste coerces  
 vrgueris turba circum te stante, miserque  
 rumperis et latras, magnorum maxime regum.*

## XVI

SED nonnulla iam eius generis stoicorum paradoxa  
 breuiter commemorabimus et cum Horatii conferemus  
 verbis, ex quibus patebit, multa ex stoicorum dogmatibus  
 sua fecisse poetam. Ac primum quidem dicit stoicus, *sa-*  
*pientes deo pares esse, m)* huiusque decreti sui hanc adfert ra-  
 tionem, quod eadem in deo et homine virtus reperiatur.  
 Deum, putabat, potentia tantum et diurnitate homini  
 antecellere. Propter hanc eminentiam HORATIUS *sa-*  
*pientem deo non parem, vno tamen Ioue minorem facit, hoc*  
*discrimine stoicam iactantiam aliquo modo emolliturus.*  
 Pronuntiarunt porro stoici, *solum sapientem diuitem esse:* ne-  
 minem enim, nisi sapientem, diuitiis rite uti posse, reli-  
 quos non diuitias habere, sed ab iisdem haberi, neque di-  
 uitiis eos uti, qui stulte easdem et sine ratione effunde-  
 rent. Quo spectant illa HORATII: *n)*

*sic, qui pauperiem veritus, potiore metallis  
 libertate caret, dominum vebit improbus; atque  
 seruiet aeternum, quia paruo nesciet uti,*

F 3

*m)* philosophorum Stoicorum ea de re  
 testimonia collegit LIPSIVS libro laudato

p. 751 788

*n)* libr. I. epist. 10. 39.

et quae paullo post habet:

*nec me dimittes incastigatum, ubi plura  
cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.  
Imperat aut seruit collecta pecunia cuique,  
tortum digna sequi, quam ducere funem*

tum et haec: o)

*nullus argento color est auaris  
abdito terris, inimice laminae  
Crispe Sallusti, nisi temperato  
splendeat vsu:*

inprimis illud: p)

*pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus.*

Putabant enim stoici, non diuites esse, qui diuitias possiderent, sed qui nulla re egerent, talem vero esse sapientem, qui, sorte sua contentus, nil adpetat, nil concupiscat, ideoque, sibi quidquam deesse, haud sentiat. Addunt stoici sapientem, qualem sibi fingunt, *esse regem regum. q)* Quod quidem *παράδοξον* ridet HORATIVVS eo loco, quem supra adduximus, r) alibi vero serio rem tractat, neque in verbis haeret, sed veram stoicam ea de re sententiam sic tradit, vt vere stoicus esse videatur. Audiamus ipsa eius verba: s)

*latius regnes auidum domando  
spiritum, quam si Libyam remotis  
Gadibus iungas et uterque Poenus  
seruiat vni.*

*Crescit*

o) libr. II. od. 2. v. 1. sq.

p) libr. I. epist. 12. v. 4.

q) videatur LIPSIVS p. 785. STAN-  
LEIVS *hist. philos.* p. 618. et RAFFOL-

TVS *comm. in Horat.* p. 95. coll.  
p. 1225.

r) libr. I. *serm.* 3. v. 125.

s) libr. II. od. 2. v. 9. sq.

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops  
nec sitim pellit, nisi causa morbi  
fugerit venis et aquasus albo  
corpore languor.*

*Redditum Cyri solio Phrabaten  
dissidens plebi, numero beatorum  
eximit virtus; populumque falsis  
dedocet uti*

*vocibus: regnum et diadema tutum  
deferens vni, propriamque laurum,  
quisquis ingentis oculo inretorto  
spectat aceruos.*

Non poterat certe luculentius disertiusque hoc stoicorum dogma proponere vates Venusinus. Duabus vero potissimum de causis splendido regis titulo ornabatur in porticu sapiens, primum propter imperium in se ipsum suasque animi cupiditates, tum et quod alios regere, ac, quo vellet, ducere posset. Cum hoc dogmate coniungere stoici aliud: *sapientem se solo esse contentum*, alia, quae sibi haud data esse, videat, neque sperare, neque exoptare. Hanc virtutem *ἀσφαγεία* vocare solebant, qua sapiens

- - - non opimas

*Sardiniae segetes feracis*

*non aestuosae grata Calabriae*

*armenta, non aurum, aut ebur indicum*

*non rura, quae Liris quieta*

*mordet aqua taciturnus amnis, t)*

ab

s) *libr. I. od. 31. v. 3.* de hac veterum Stoicorum *ἀσφαγεία* legatur RAPPOLTUS *Ant. imperat. libr. 11. §. 17. p. 59.* *comm. ad Horat. p. 1209.* LIPSIVS *libr. memor. p. 778 et GATAKERVS not. ad*

ab Apolline petit, sed hoc tantummodo, vt sit mens sana  
in corpore sano:

- - me pascunt oliuae  
me cichorea, leuesque maluae.

Frui paratis et valido mihi

Latoë, dones, ac, precor, integra  
cum mente nec turpem senectam  
degere, nec cithara carentem.

Hanc ἀὐλαγνέειν stoicam feliciter expressit poeta noster alio  
carmine: u)

fit mihi, quod nunc est, etiam minus, et MIHI VIVAM  
quod superest aevi, si quid superesse volunt dii.

Stoicus igitur paucis contentus erat, sicuti HORATIO x)  
hoc erat in voris: modus agri non ita magnus,  
hortus ubi et recto vicinus iugis aquae fons  
et paullum siluae super his foret. Auctius atque  
di melius fecere, bene est, nil amplius oro.

Quare et frugalitatem summopere commendare solebat  
porticus, cum porticu HORATIVVS. Ac eo quidem refe-  
renda sunt illa poeta nostri: y)

si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil  
diuitiae poterunt regales addere maius.

Si forte in medio positorum abstemius, herbis  
viuis et vrtica,  
et quae alio loco habentur: z)

- - multa petentibus  
desunt multa. Bene est, cui deus obtulit  
parca, QVOD SATIS EST, manu.

u) libr. I. epist. 18. v. 107.

x) libr. II. serm. 6. v. 1.

y) libr. I. epist. 12. v. 5. sq.

z) libr. III. od. 16. v. 42.

## XVII

18 *sapiente summam quoque animi constantiam inesse debere, porticus docuit ac eam quidem, quae nec summis voluptatum illecebris, neque acerbissimo doloris sensu, neque villo cruciату, neque ipso adeo mortis metu frangeretur. Sic Zenon, Chrysisippus, Cleanthes aliique stoicorum principes, sic ipse noster HORATIVS, quem iuvat ipsum audire: 2)*

*inustum et tenacem proposui virum,  
non civium ardor, prava iubentium,  
non vultus instantis tyranni  
mente quatit solida, neque auster  
dux inquieti turbidus Adriae,  
nec fulminantis magna Iouis manus  
si fractus illabatur orbis  
impavidum ferient ruinae*

Hanc inuictam constantiam in Catone notat noster poeta eamque poetica licentia atrociam vocat, ibi, vbi Caesari omnia cessisse praeter animum Catonis, obseruat: a)

*et cuncta terrarum subacta  
praeter atrocem animum Catonis.*

Vnde ne summos quidem tormentorum cruciatus expauescere solebat, neque minis aut precibus moueri se patiebatur animus stoicus, qualem ostendit olim ATTILIVS REGVLVS qui, vt poeta noster canit, b)

*fertur pudicae coniugis osculum  
paruosque natos, vt capitis minor,  
ab se remouisse et virilem  
ioruus humi posuisse vultum  
donec labantes consilio patres  
firmaret auctor nunquam alias dato  
interque moerentes animos  
egregius properaret exul*

G

atqui

2) libr. III. od. 3. v. 1.

a) libr. II. od. I. v. 23.

b) libr. III. od. 5. v. 41.

atqui sciebat, quae sibi barbarus

tortor pararet - - -

Itaque quum sapientem suum nulla re subigi, nullo fortunae genere, neque blanditiis neque procellis eiusdem, in transuersum agi posse, autumarent stoici, factum est, vt hoc ipso nouum oriretur *παράδοξον*, sapientem solum esse liberum. Sola honestate eundem duci, non lege, non metu cogi, sibi imperare, non sibi imperari pati, neque a voluptatibus, neque ab vilo vitiorum genere: quot enim vitia spernat, tot effugere eum tyrannos, neque foedius vllum esse seruitutis genus, quam vitii seruire, ducique se pati

- - - vt neruis alienis mobile lignum.

Sic poeta noster, c) qui in sequentibus admodum *συνώνως* de sapientis libertate:

quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus

quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrene

respondere cupidinibus, contemnere honores

fortis, et in se ipso totus teres atque rotundus

externi nequid valeat per leae morari,

in quem manea ruit semper fortuna - - -

Quare vero HORATIVS sapientem suum teretem facit ac rotundum? Respondeat RAPPOLTVS, d) doctus Horatii interpres, qui scite et breuiter, vt peripatetici, inquit, cum Aristotele suo virum bonum *τελειότατον*, ad figurae stabilitatem respicientes, sic stoici eundem teretem ac rotundum vocant. Quod ductum a figura rotunda, quae, vt CICERO loquitur, nihil habet incisum angulis, nihil eminens, nihil lacunosum. Ad eundem enim modum totus in se conuersus liber nihil habet, quod fortunae et iniuriarum sit obnoxium et in quo quicquam externum haerere possit adeoque ligno tereti aut marmoris perpolito similis est, in cuius leui et conglobata connexitate nihil asperum aut hiulcum reperitur.

XVIII

HAEC libertas tam late olim patuit in porticu, vt nullis plane animi commotionibus, quas graeci *πάθη* vocant, obnoxius esse sapiens

c) libr. 21. serm. 7. v. 824

d) comm. in Horat. p. 433.



piens crederetur. Nec vllum putamus decretum aut exagitatam magis, aut vehementius oppugnatum, aut fortius etiam esse defensum. Cuius quidem rei causam totamque huius inter philosophos veteres dissensus rationem omnium optime exposuit nobis CICERO, e) cuius ideo verba hic transcribemus: *quum antiqui perturbationem animi ex homine non tollerent naturaque et condolescere et concupiscere et extimescere et efferrī laetitia dicerent, sed ea contraberent in angustumque deducerent; Zeno omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem. Quumque eas perturbationes antiqui naturales dicerent et rationis experies aliaque in parte animi cupiditatem, in alia rationem collocarent, ne his quidem assentiebatur. Nam et perturbationes voluntarias esse putabat opinio- nisque iudicio suscipi et omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem, immoderatam quamdam intemperantiam. Iam vero merito quaeritur, vtrum etiam hac in causa Horatius noster stoicorum more philosophatus sit? Duo sunt effata, quae, inter se conciliata, haud obscure aut animum scribentis accipitem prodere, aut saltem hoc declarare videntur, mutasse sententiam suam Horatium et aliter sensisse hac de re, quum alteram, aliter quum alteram odam scripserit. Quum enim canit: f)*

*latus regnet avidum domando  
spiritum, quam si Libyam remotis  
Gadibus iungas,*

quum domari spiritum vult, hoc ipso non tollit stoicorum more et exturbat animi motus, sed adesse et remanere eosdem fatetur, modo ne imperium obtineant, sed a sapiente coerceantur, riteque dirigantur. Quid vero, si HORATIVM nostrum alio loco *de cupidinis eradenda* dicentem audiamus? g)

*eradenda cupidinis  
pravi sunt elementa*

Quid? nonne hoc porticum redolere videtur? Non enim recidendos, sed excidendos, non regendos, sed profus eiciendos esse animi motus

G 2

e) libr. 1. acad. cap. 10.  
f) libr. 11. od. 2. v. 9.

g) libr. 111. od. 24. v. 51.

motus, autumat stoicus noster vates. Haec quamuis ita sint, videtur tamen nobis neutiquam contradixisse sibi Horatius, modo hac in re stoicorum inter sapientes *προκόποιοι* et *τελείως* discrimen, quod supra explicauimus, obseruetur. Putabant enim stoici, *προκόποιοι* non plane carere affectibus, verum, si ad τῶν *τελείων* classē peruenire cuperent, necesse esse, vt eosdem domarent, quod si nunquam negligeretur, fieri posse, vt omnem vim suam plane amitterent, et quasi enecarentur: eandem rationem esse morborum corporis et animi, illos non nisi sublata morbi causā vere sanari posse, hos pari modo tolli, si causā, id est, si affectus tollerentur, si fons ipse, vnde animi vitia promanarent, id est, si animi commotiones plane remouerentur. Vnde intelligere licet illa poetae nostri, vere *σωκῆς* prolata: b)

*creuit indulgens sibi dirus hydrops  
nec sicut pellit, nisi causā morbi  
fugerit venis et aquosus albo  
corpore languor.*

## XVIII

SVNT etiam in stoicorum paradoxis haec, *solos sapientes inter se amicos esse, alios omnes, qui sapientiae nomen rite tueri ac defendere haud possint, aequali ratione insanire.* Alterum paradoxon si spectamus, Flaccus quidem noster hoc ita, vt stoici, non effert, videtur tamen id in mente habuisse, quum quaestionem proferret: i)

*virumne  
diuitiis homines, an sint virtute beati?  
quidne ad amicitias, vsus rectumne, irabat nos?  
et quae sit natura boni summumque quid eius?*

ratione potissimum habita controuersiae illius, quae inter epicureos et stoicos philosophos ea de re agitabatur. Epicurus enim ob utilitatem tantum amicitias colendas esse, existimauit, cuncta visus ad vsus et vitae commoditatem reuocare, stoici contra sola virtute animos mortalium ita, vti par sit, conciliari inter se pronuntiarunt, siue

vti

b) libr. 11. od. 2. v. 13.

i) libr. 11. serm. 6. v. 73.

vti HORATIUS: *to rectum trahere sapientes ad amicitias.* Quumque non nisi in sapiente virtutem esse posse, crederent stoici, factum est, vt veram amicitiam omnibus denegarent, qui sapientes haud essent. Alterius paradoxo hanc adferebat rationem porticus: Esse, aiebat, virtutes tam arcto inter se vinculo coniunctas, vt nulla constare sine altera possit: qui igitur vnica careret, hunc omni virtute carere: parem rationem esse vitiorum, parem eorundem inter se nexum: nullum vero esse, inter virtutem et vitium, medium quoddam genus. Vnde colligere posse sibi videbatur stoicus, eum, qui sapientis nomen haud rite defendere posset, omnibus aequae animi et mentis vitiis ac morbis laborare et vnum idemque esse insaniae genus, siue ab hac, siue ab alia virtute deflecteret, quum vna sit virtus vnum vitium. Quare SENECA: *k) qui habet vnum vitium, habet omnia.* Qua in re FLACCUS noster iidem se stoicum gerit: *l)*

*quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri  
caccum agit, insanum Chryssippi porticus et grex  
autumat: haec populos, haec magnos formula reges  
excepit sapiente, tener. Nunc accipe, quare  
despiciant omnes, aequae ac tu, qui tibi nomen  
insano posuere. Velut siluis, vbi passim  
palantes error certo de tramite pellic  
ille sinistrorsum, hic dextrorsum abii, vnus virique  
error, sed variis illudit partibus: hoc te  
credo modo insanum nibilo vt sapientior ille,  
qui te deridet, caudam trahat.*

Haec verissime *σωμῶς* pronuntiata: esse omnes, excepto sapiente, insanos, insanire omnes aequali prorsus ratione. Neque mirum, si ipsos stoicos in stultorum numerum ab Horatio relatos videas. *SEXTVS* enim *EMPIRICVS* *m)* diserte tradit, ex stoicorum sententia in stultorum numerum referri Zenonem, Cleanthem, Chrysippum et ceteros. Quodsi hi in porticu philosophiae antifites non ad tantum

G 3

sapien-

*k) libr. v. de benef. cap. 15.*

*l) libr. 11. serm. 3. v. 43.*

*m) libr. 1111. aduersus mathematicos.*

sapientiae stoicae gradum peruenire potuerunt, vt ex stultorum numero ab ipsis stoicis eximerentur, quanto maiori iure Horatius dicere potuit:

*accipe, quare  
despiciant omnes, aequae ac tu, qui tibi nomen  
insano posuere.*

Quemadmodum enim supra audiuius, prodigii quasi et miraculi loco habebatur talis sapiens, qualem volebat esse porticus. Neque ipsi stoici diffitebantur, pertinere eum fere ad τὸν ἀδύνατον numerum. Quare quum ipsi stoicae philosophiae principes et antesignani ab omni vitio haud immunes fuere, non adeo mirum, si hi ab ipsis discipulis pro eorum philosophandi ratione in stultorum classem relati fuerint.

## XX

QVARE vero, omnes aequali ratione insanire, in porticu existimatum fuerit, eam potissimum ob causam factum esse, videtur, quod Zenonis asseclae omnia peccata aequalia esse, statuerunt. Ac huius quidem paradoxii aliquot haud obscura vestigia in HORATIO nostro licet deprehendere. Ipsum audiamus, statuentem, aequae grande scelus committere eum, qui vnum fabarum modium ex mille surripuerit, quam qui aliud pessimum quoduis flagitium perpetrauerit: n)

*nam de mille fabae modiis cum surripis vnum  
damnum est, non facinus mihi pacio lenius isto.*

Ac ex hac stoica lege explicat ACRON, eruditus poetae nostri interpretes, alium eiusdem versum, quo negat, quidquam interesse, vtrum quis in matrona, an ancilla, an in adultera delinquat: o)

*- - - - quid inter-*

*est, in matrona, ancilla peccesue togata?*

Res vtut sit, hoc probe tenendum est, stoicos in hoc paradoxo de peccatorum aequalitate naturam tantum peccati eiusque indolem in se spectatam, non rei admissae grauitatem reputasse. Hanc enim diuersam esse, ideoque peccata alia grauius, lenius alia punienda esse, probe

n) libr. I. epist. 16. v. 55.

o) libr. I. serm. 2. v. 62.

probe agnouerunt. Quare etiam apud STOBÆVVM, p) CHRYSIP-  
PVS πάντα ἀμαρτήματα pro sua nempe natura *ισα*, pro rei admissæ  
grauitate non prorsus *ἴμοια* esse, fatetur. Quæ si rite expendun-  
tur, non videtur sibi contradicere HORATIVVS noster, si alio loco  
rectæ rationi sensuumque iudicio, moribus et communi hominum  
saluti dogma hoc stoicorum aduersari pronuntiat, quatenus nimirum  
in peccatis parem rei admissæ gravitatem statuere quis vellet: q)

*quæ paria esse fere placuit peccata laborant,  
quam veniunt ad verum est, sensus moresque repugnant,  
atque ipsa vilitas, inssi prope mater et æqui.  
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque  
qui teneros caules alieni frerit hori  
et qui nocturnus diuum sacra legerit*

## XXI

DENIQUE etiam hoc in stoicorum paradoxorum numero habi-  
tum olim fuit, posse sapientem violentam sibi inferre manum sibi que  
mortem consciscere; non quavis quidem de causa, si quidem hoc  
omnibus animantibus a natura datum sit, ut se suamque vitam con-  
seruare studeant; sed tum, ex Zenonis sententiâ, quum amor pa-  
triæ, quum amicorum salus, quum animi aut corporis dolor volun-  
tariam mortem suadere et efflagitare videantur. EPICETVS vlti-  
mam et extremam paupertatem addidit, dolorem vero et aegritudi-  
nem alii stoicorum ad voluntariæ mortis causam ea tantum condi-  
tione referendam sunt arbitrati, si certum hoc esset exploratum,  
dolorem vel morbum in omnibus praeclaris rebus suscipiendis fore  
impedimento, sin minus, effeminati et parum constantis animi hoc  
esse, si quis dolore se vinci passus, doloris causa se vita priuaret.  
Alii sic olim iudicarunt, moriendum sapienti esse, si neque hone-  
ste, neque vtiliter viuere amplius posset, senectutem vero tum de-  
mum ad mortem subeundam nos inuitare, si mentem, utpote prae-  
stantiorem hominis partem, illa imminutam ac fractam sentiamus. Sic  
stoici, longe melius aliarum sectarum philosophi, Platonici inprimis,  
qui,

p) vid. LIPSIVS libro memorato p. 807.

q) libr. 1. serm. 3. v. 96. sq. et v. 115. sq.

qui, piis omnibus retinendum esse animum in corporis custodia, pronuntiant, ne iniussu eius, a quo ille datus sit, ex hominum vita migrasse, de statione nostra decessisse, aut quidquam humani, nobis a deo constituti, defugisse, videamur. Satis notae sunt controuersiae veterum philosophorum, ea de re agitatae, de quibus breuitatis causa nihil in praesenti commemorabimus, id modo, quae HORATII nostri ea de re mens et sententia fuerit, paucissimis videbimus. Ac in ea quoque re, ipse, nisi nos omnes rationes fallunt, aliquid ex porticu secum adtulisse videtur. Stoici enim hoc non negarunt, ipsa natura nos studio vitae conseruandae teneri, fieri tamen posse, vt eo se quis delatum videat, vt mortem sibi consciscere, et necessarium et laudabile et honestissimum videatur. Vtrumque FLACCVS noster. Nam, quum canentem eum audiamus: r)

*vt, quo quisque valet, suspectos terreat, vique*

*imperet hoc natura potens; sic collige mecum,*

*dente lupus, cornu iaurus petit, vnde, nisi intus*  
*monstratum?*

quidni ex his colligere liceat, ex mente Horatii ideo vires a natura et brutis et hominibus datas esse, vt quodlibet animantium vitae conseruandae causa se defendat. Eandem vero cum stoicis de voluntariae morte sententiam habuisse vatem nostrum, non tam ex eo comprobari posse, putamus, quod mortem Cleopatrae summis extulit laudibus: s)

*quae generosius*

*perire quaerens, nec muliebriter*

*expauit enses, nec latentes*

*classe cita reparauit oras*

*ausa et iacentem visere regiam*

*vultu sereno fortis et asperas*

*tractare serpentes, vt atrum*

*corpore combiberet venenum*

*deliberata morte ferocior*

quam

r) libr. 11. serm. 1. 50.

s) libr. 1. od. 37. v. 21.

quam ex his eius verbis, quibus EVRIPIDIS verba sua fecit, et in quibus imaginem viri probi honestique exhibiturus eum non solum nullis calamitatibus commoueri, pronuntiat, sed et voluntaria morte haud difficulter hisce finem imponi posse, credit: *t)*

*vir bonus et sapiens audebit dicere, Pentheu  
rector Thebarum, quid me perferre patique  
indignum coges? Adimam bona: Nempe pecus, rem,  
lectos, argentum, tollas licet. In manibus et  
compedibus saeuo te sub custode tenebo.*

*Ipse deus, simul atque volam, me soluet. Opinor,*

*boc sentit: moriar, mors vltima linea rerum est.*

Haec de praecipuis stoicorum placitis, in Horatio nostro obuiis. Possent quoque in praesenti aliqua de eorum vitiis mentio fieri. Possent ipse HORATIUS noster ex his eius verbis: *u)*

*sed satis est, orare Iouem, quae donat et auferit,  
det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo,*

in arrogantiae stoicae suspicionem adduci. Neque vero non et haec poetae nostri verba: *x)*

*asperitas agrestis et inconcinna grauisque,  
quae se commendat tonsa cute, denibus aëris  
dum vult libertas diu mera, veraque virtus,*

dare nobis possent occasionem, de stoica seueritate, quam secundum nonnullorum interpretationem HORATIUS in his verbis descripsit, quaedam commentandi. Verum cum propter temporis praesentis angustiam, tum ne fines commentationis academicae transiisse videamur, consultius erit, de his rebus tacere, et, quae forte dicenda ea de re sunt, ad aliud tempus opportunius reseruare.

*t)* libr. I. epist. 16. v. 73.

*u)* libr. I. epist. 18. v. 111.

*x)* libr. I. epist. 18. v. 6.



CLARISSIMO AC DOCTISSIMO  
M. DAN. CHRISTIAN. PFLVGRADT

S. P. D.


P R A E S E S



X quo propius TE nosse inque TVAM amicitiam venire, datum mihi fuit, egregias in te, VIR CLARISSIME, cognoui ingenii virtutes, ac simul, si recte iisdem ad litterarum facrarum disciplinas vterere, ciuem TE patriae vtilissimum, summe reuerendo TVO patri solatio et gaudio, TVIS TVAEque splendidissimae familiae magno decori et ornamento fore, summo iure augurari posse, mihi sum visus. Inprimis, quum lectionibus priuatissimis de stili cultioris latini praeceptis, ad vsum et exercitationem rite reuocandis, me disserentem audires, expertus in TE sum docilitatem quamdam, qua, quicquid TIBI abs me ingenii TVI exercendi causa propositum ad imitandum fuerat, apte sciteque imitabare, ea prorsus ratione, quae, haud inuita Minerua ad litterarum TE accessisse studia, luculenter declarabat. Hocque inprimis in TE fuit laudandum, quod in academiam nostram delatus, arctissimum litterarum politiorum et philosophiae vinculum TV probe perspiciebas, vtriusque subsidii indolem, ratus, sic esse comparatam, vt alterum ab altero diuelli neque possit, neque debeat, nisi aut barbare philosophari, aut inanem verborum vel ornatissimorum sonum sine subiecta iisdem aliqua sententia effundere velimus. Quo praeclaro consilio TV nixus tanto certe auspiciatus diuinioribus disciplinis animum consecrare viamque TIBI ad grauiora litterarum studia per quam facilem parare potuisti. Quare nullus ego dubito, litteratam pugnam, quam meditaris, TIBI perhonorificam et, quod partibus TVIS TE rite satisfactorum tutus confido, cum summa TVA laude coniunctam fore. Seruet TE deus optimus maximus omni tempore saluum et incolumem proque sua gratia efficiat, vt SVMME REVERENDVS PARENS TVVS, cuius eximia in rem  
chri-



christianam merita omnes suspiciunt ac venerantur, de TE TVISQUE  
virtutibus laetandi, amplissimum sibi datum esse videat argumentum.  
Largiatur TIBI idem supremum numen omnem, quae in mortales  
cadere potest, felicitatem reddatque TE, feliciter confecto longo  
TVO ad paternos lares itinere, patriae TVAE, et sic quidem, vt vber-  
rimi abs TE ad eam redundant vitae TVAE academicae fructus.  
Vale, VIR CLARISSIME, res TVAS age feliciter, omneque offi-  
cii, amicitiae et humanitatis genus abs me, TVI amantissimo TVIQUE  
honoris studiosissimo, exspecta. Ienae, d. I. Iun. CIOIOCCCLXIII.



CLARISSIMO AC DOCTISSIMO  
M. DAN. CHRISTIAN. PFLVGRADT

AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

M. IVSTVS CHRISTIANVS HENNINGS

AMPLISS. PHILOS. ORD. ADIVNCT.

**E**uenit tandem, quod coniectura mea iam fui dudum adsecutus, pulcherrima, inquam,  
dies, qua TE, VIR CLARISSIME, eruditionis, quaque hanc TIBI comparasti,  
diligentiae TVAE praemia accipientem video. Vt elixius paullo me explicem, laudibus  
TVIS hocce quin adiciam iure meritoque non dubito, nempe, quam laudabili conatu ad  
altiora Musarum domicilia adspiraueris, quam faustis auibz fueris iter TVVM ad illa pro-  
sequutus, quanta demum gloria itinere absoluto ad eadem penetraueris ibidemque pro-  
fratris difficultatibus ad instar victoris laurea digni Musarum *ReguBeru* expectaturus  
subsisteris: horum omnium testem me profiteor, sane non sine maxima lactitia profi-  
teor. Etenim quum me delegisses, qui TIBI ducentes ad veram eruditionem semi-  
tas, quas quidem fueras felici cum successu ingressus, vterius praepararem, quouisue  
TE modo lableuarem; TVAM subinde alacritatem, diligentiam et constantiam nulla  
asperitate labefactandam praefens adspexi. Si forte TIBI meum fignit auxilium proba-  
tum, admodum gaudeo. Interim TE reliqui, quum scilicet istuc peruentum esset, vbi  
summi constantibus Musarum filiis honores distribuuntur, quos iam TIBI ex animo  
gratulor, simulque TVAM mihi perpetuam erga me beneuolentiam, hac quoque in re  
conspicuum, quod me opponentis spartam obire voluisti contra doctissimam TVAM  
disputationem. Supremi numinis gratia semper adiutus sospes in patriam redeas TVIS-  
que TE dilectissimis parentibus patriaeque talem ostendas, qualem exoptauerunt. Vale  
mihi que fauere perge. Ienae d. I. Iun. CIOIOCCCLXIII.

VIRO CLARISSIMO AC DOCTISSIMO  
M. DAN. CHRISTIANO PFLVGRADT

S. P. D.

IOANNES ANDREAS SIXTVS, SVECOFVRTENS.

*Sacr. discipl. Cult. et Societ. lat. Ienens. collega ordin. Opponens.*

**E**x quo fuit mihi iucundissima data occasio, propinquiorem de TE, mihi, VIR CLARISSIME, comparandi cognitionem; multa sane illius beneficio intellexi, quae in TE mihi ingenti admiratione digna esse videbantur. Enimuero quoties non solum amplioem, qua polles, doctrinam; sed etiam ingenii TVI consideravi excellentiam, qua omnem a TE diligentissime conquistam disciplinarum utilissimarum materiam consilio praeparare, ad fastigium extruere sublime, cunctaque ita locare et perpolire nouisti, ut praeter commoda TVA domestica, vniuersa quoque litteratorum res publica exoptata TIBI emolumenta insigniaque ferat ornamenta accepta: Haec omnia, inquam, quantacumque sint, quoties consideravi; toties miratus iterumque miratus fui, licet fateri me oporteat, quum pro TVIS in rem literariam meritis summi TIBI distribuarentur Philosophiae honores, id omnem meam sustulisse admirationem, tantumque reliquum mihi fecisse, ut illos TIBI ex animo gratularer. Ad quod accedit, me elegantissimos mores TVOS, ad humanissimam misericordiae ratione compositos consuetudinem ab egregia TVA doctrina seingere nunquam potuisse. Quam ob rem TE mihi etiam inter amicos TVOS sincerios locum concessisse eundemque me tueri adhuc passum fuisse, ad feliciorum vitae meae conditionem retuli ac refero. Quod uti ex aliis speciminibus summa cum ratione conicere potui; ita inprimis huius singulare accepi testimonium, a TE mihi demandatis opponentis vicibus. Licet mihi TVAE hac in re laetitiae fieri participi, ad TE redundaturae excessa gloria, virorumque praeconitium doctorum cum TVAE eruditionis per TVAM largius sparsae disertationem, tum promittudinis, qua dubitationum nubeculas misericordiae dissipabis. Deus optimus maximus TIBI semper fauicat, TE factum et incolumem ad lares reduceam factum omnibus istis exhiberet praemiis, quae TVA doctrina, TVaque promeruit virtus. Tandem, ut TVO me fauori semper habeas commendatissimum, enixe rogo. Vale! Ienae d. I. iun. C I C I O C C L X I I I I.

VIRO CLARISSIMO AC DOCTISSIMO  
M. DAN. CHRISTIANO PFLVGRADT

S. P. D.

HERM. FRIED. KOECHERVS, OSNABRVG. Oppon.

**P**ermitas, Amicorum optime, ut haec lines docuissimae TVAE disertationi tanquam publicum animi, quo TE TVAMQUE scientiam colo, documentum appolam. Singularem sine in me contulisti honorem, dum eorum, qui amice contra TE pugnant, subfella confendendi et dissentientis munere fungendi benigne potestatem mihi fecisti. Officii itaque mei atque amicitiae meae esse arbitratus sum, TIBI pro tam insigni amicitiae TVAE specimine gratias persolvere, deque summis in Philosophia honoribus, qui mox TIBI ab amplissimo philosophorum ordine merito conferentur, simul publice gratulari. TIBI, Patriae TVAE, Parentibus, et ecclesiae Christianae de TE TVaque eruditione gratulor. Supremum nomen semper adit praeclaris TVIS conatibus. Vitas quam diuissimae, et semper fruaris vita felici et iucunda. Quum vero nunc fata TE mihi eripiunt, nihil magis in votis habeo, quam ut etiam me absentem amicitiae TVAE semper habeas commendatissimum, semperque benevole de me sentias. Dab. Ien. d. I. iun. M D C C L X I I I I.

78 M 494


ULB Halle

3

002 414 902







B.I.G.

Farbkarte #13

1978  
M  
494

DISSERTATIO  
DE  
PHILOSOPHIA  
HORATII  
STOICA

QVAM  
PRAESIDE  
IO. ERN. IMMAN. WALCHIO  
ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESS. PVBL. ORD  
SOCIETATVM LATINAE IENENSIS DIRECTORE  
ROMANAE ARCAD. FLORENTINAE COLUMBAR  
ET LITTERARIAE BREMENSIS  
SODALI

D. II. IVNII CIOIIOCLXIII  
PVBlicae ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVMITTIT AVCTOR  
M. DANIEL CHRISTIANVS PFLVGRADT  
DOBLENA CVRONVS  
SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALIS HONORARIVS

IENAE  
LITTERIS HELLERIANIS

830

LIBRARY  
THESS. B. 11. 11. 11

